uocatõe ꝙ ꝙsanãe ꝙssima crudelitate affligens
tauis meum opprimes seruitute fa
¶ Moneo ꝙ caro domum ꝙ agrũ
mulorum ſ; qñ mercenarius ꝙ eo
recipabit
lonus erit usq; ad annum iubileũ
operabit apud te ꝙ postea egredit
¶ ut cum habebit unde reddat
cum liberis suis ꝙ reuertetur ad eo
¶ eorum ¶ uersationis ſor rem ꝙ ge qñ dedit
gnationem ꝙ ad possessionem pa
tris uestri ꝓi deus
trum suoꝝ ait enim seruui sunt ꝙ
¶ O i
ego eduxi de terra egipti eos ſ noue
¶ ut ꝓmptissime ꝓcio magno nolo ut fiant seruꝝ
mus conditione seruoꝝ nec af
¶ hominum ¶ O ne cõmercialis
fligatis eum ꝓ potentia amſ; metu
¶ O ne predicatores aquilitas
to deum tuum seruus ꝙ ancilla sint
¶ Gentiles ꝙ qui fidem credunt ſpem eiꝰ hñt fidei ꝙ salutis
uob de nationibꝫ que in circuitu uo
¶ Iudeis qui nobiscum legunt legem ꝙ ꝓphas ſ; ꝙ
stris sunt ꝙ de aduenis qui pegrinant
nobiꝫ intelligunt
apud uos ul' qui ex uobis nati fuerint
in terra uestra hos habiebitis famulos
¶ discipulos
ꝙ hereditario nomine possidebitis ad po
uos ¶ nulla remissione dimittentur ꝙ si
steros ꝙ possidebitis in eternum fres
de ipsis nunquid
autem fratres uestros filios israel ne opprimatis ꝓpo
tentiam sinistra
Si manu aduer
¶ Secundum literam qñ
tum diuina uoluit clemẽcy.
ostendit deo enim uide
¶ oportuno ¶ fortuito
tur aliena ſ premere
manus aduenę
seruire ſ; precipit reddi
¶ filius
atq; pegrini ꝙ at
¶ ꝓselytus ul' qui filiabus ꝙ ꝓ ubo doctrine ¶ ꝓsalem
tenuata fuerit tecum uendiderintq; ei aut
¶ adando ¶ discipulatui
cuiqm de stirpe eius ꝓpinquus
¶ ꝓpinqui fidei ꝙ
poterit redimi qui uoluit ex fratrib

A si subdetur tibi tamq̃ seruus ſ; libertate
de qua ꝙ ex nos liberauit;

§; qñ mercenarius ꝙ eo ꝛc; Ytem q; sub
ditus ē ſ; ois liber ē sic qui ꝓuos conuersus
ē subiectus quidem ē ſ; dignitate qñ ē dum
ne frat est.

O ut ꝓfectam penitentiam integre mi
detur ꝙ ꝓfectus ꝓficiscatur ꝙ ꝓperam apl's ſ

O si semel fili seruitute mundi
¶ diaboli liberati ꝙ ad modicum ꝙ ꝓsit
nolo eos ut dignitatem ꝓdant ꝓpter ꝓmium

In quo iudicas iudicabis ꝙ eadem mensu
ra qua mensi fueris remetietur tibi;

Seruus ex ancilla ꝛc; Ostendit quid differ
inter eos quos ex infidelib; deo saluauit quos
¶ iam fideles ꝙ nobilissimales uocationis ꝙ
uersationis dignitate ꝓmptiores uocatiõis
accumulatos corrigunmus hi etiam usq; ad
iubileum apud nos operantur hi autem
sunt serui ꝓpetui;

Iudeorum cognati sunt heretici qui eadem
nobiscum predicant multa qi sunt in terra
nra ſ; recte ꝙ ꝓfecte credunt;

O uos de gentib aut de uicinis aut de here
ticis conuertemini qi seruos ꝙ ancillas in ꝓ
tuum acquirimus qui ꝙ ex doctrine ꝓfectu
am ꝓpendimus ꝙ tanq̃ nobis ꝙ discipulis do
cendos ꝙ credere possimus sicut paulus ꝙ to
ti orbi ꝓfectus deum modo ꝓphetis docendos ꝙ com
mittit;

Reos aut O si in eadem dignitate apud uos
¶ quos de impio ꝙ uerbi ꝙ ꝓquos lapsos
reparatis;

Si manu ꝛc; ſ; simonis fidei uite ꝙ nunciis
¶ uidens sul' genitas ul' hereticis nuptiis
declinerit ut possit arguere ꝙ ꝓhibere;

O ut olim in fidei ꝙ ecclesiis ꝙ ꝓbi uersa
tionis sorte equatis;

Virtute enim hominem in fide abundan
tia nutrimentum ꝙ alumnis subire magistrum
qui ꝓpter ꝓficiscentes ſ; ꝙ inde ꝙ ꝓ heri

BIBLIO
ARMAR
ESTAN
VOLUM
UNIVERSIDAD DE MURCIA
BIBLIOTECA
S-13
2631

UNIVERSIDAD DE MURCIA

OPERA

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI CARTHAGINENSIS, INTER LATINOS ecclesiæ scriptores primi, sine quorum lectione nullum diem intermittebat olim diuus Cyprianus, per BEATVM RHENANVM Selestadiensem è tenebris eruta, atq; à situ pro uirili uindicata, adiectis singulorũ librorum argumentis, & nullibi non coniecturis, ac nuper collatione Gorziensis exemplaris ex Mediomatricibus oblata, nõ solum longè emendatiora facta, uerum etiam pro re nata nouis ac retextis annotationibus exposita illustrataq;. Quorum catalogum proxima pagina reperies.

Floruit sub CAESS. Seuero Pertinace, & Antonino Caracalla, ualde uicinus Apostolorum temporibus, circa annum à Christo passo CLX.



BIBLIOTECA PROVINCIAL MURCIA

es de la Librería de mi S.r y S.a
Ann del monte de Tumilla

BASILEAE M D XXXIX
MENSE MARTIO

Esta expurgado por mandado y comission del S.to Oficio conforme al nuevo indice expurgat.o en Roma de Dezem.e de 1614. por mi P.e Adan

CATALOGVS OPERVM Q. SEPTIMII FLO/ rentis Tertulliani, quæ in hoc uolumine continentur.

De patientia Lib.	I	Hunc librum æmulatus
De carne Christi Lib.	I	est diuus Cyprianus, cũ
De resurrectione carnis Lib.	I	scriberet de bono patien.
De præscript. aduer. Hæret. Lib.	I	Hic antea perperam in
Aduersus Iudæos Lib.	I	duos diuisus erat.
Aduersus Martionem Lib.	V	
Aduersus Hermogenem Lib.	I	
Aduersus Valentinianos Lib.	I	
Aduersus Praxeam Lib.	I	Hũc lib. allegat Hieron.
De corona militis Lib.	I	in principio Quæst. siue
Ad martyres Lib.	I	traditionũ, Heb. in Gen.
De pœnitẽtia Lib.	I	Et forte est, cuius epito/
De uirginibus uelandis Lib.	I	men feciſſe Nouatianum
De habitu muliebri Lib.	I	idẽ alibi testatur Hiero.
De cultu fœminarum Lib.	I	
Ad uxorem suam Lib.	II	
De fuga in persecutione Lib.	I	
Ad Scapulam Lib.	I	
De exhortatione castitatis Lib.	I	
De Monogamia Li.	I	Hunc citat Hieronymus
De pallio Lib.	I	in epist. ad Paulinum.
Apologet. aduersus gentes Lib.	I	

UNIVERSIDAD DE MURCIA

BEATVS RHENANVS THEOLOGIS ET PIIS OMNIBVS S. D.

SEPTIMIVM Tertullianũ Aphrum apud Carthaginem proconsulari gente natũ, uetustissimũ inter Theologos Latinos, quem EVSEBIVS Cæsarienſis omniũ ecclesiarum sermone celebratũ asserit, dũ adhuc in humanis ageret, iterum damus uobis, sed emendatiorem q̃ antehac. Cuius rei causa, q̃ collationem eius codicis qui Gorziæ in Mediomatricibus asseruatur, diligentia ac dexteritate HVBERTI Custinei uiri quũ pietate tum eruditione excellentis, adiuuãte DOMINICO Florentino sodali peractam, cura clariss. Iurecõsulti D. CLAVDII Cantiunculæ FERDINANDI Cæsaris à cõsilio, tandem nacti sumus. Nec uero tantũ profuit illa, quanq̃ multum profuit, quantũ momenti attulit ad exactiorem castigationẽ, quòd deprehendimus subinde græcissare SEPTIMIVM figuris & constructionibus Græcis utẽtem, ut VICTORINI illius sæpe uenerit in mentem, quem diuus HIERONYMVS melius græcè q̃ latinè scisse scribit. Id quod & de IRENAEO sentiendũ ipsa phrasis extantium librorũ indicat. Apparet sanè nostrum autorem in lectione Grecorũ ueterum qui plurimi id temporis & soli inter sacros interpretes habebantur assiduè uersatũ, ut imbibitam & impressam memoriæ Græcorũ dialecton etiam latinè scribens interobliuisci nequiret. Nos huiusmodi tropos indicauimus, & quidẽ sæpe crassius modo apertius. nam uoluimus adiuuare studiosos. Iam dedit retexendarũ annotationũ ansam collationis istius oportunitas, ubi lectio posterior à priore nonnunquã euariat. Hoc quoniam erat indicandũ, aliam etiam expositionem mutata uerba desiderabant. Non licuit adesse BASILEAE dum ædi tur opus. Verum SIGISMVNDVS Gelenius homo magni in literis iudicij, & eruditione summa præditus, in recognoscendo opere uicariã operam in officina præstitit, qui merita laude sua non est fraudandus. Vestrum est nunc optimi uiri nostrum hunc laborem boni cõsulere, & TERTVLLIANVM ardentem totum amore CHRISTI, cuius religionẽ aduersum uetetes hæreticos tam enixè propugnat, tametsi ipse quoq̃ non perstitit, sed secessit, quod est prorsum inexcusabile, uel ob hoc inquam diligenter euolue re, quo uideatis quanti faciat ecclesiam Romanam, cui summam tribuit autoritatem, cuius etiam & omnium rectè sentientiũ iudicio hasce annotationum mearũ quisquilias subijcio. Valete. Seletstadij, sub Calendas Martias Anno M. D. XXXIX.

PROVERBIA AVT PROVERBII SPECIEM REFERENTIA, QVIBVS PASSIM in ſcriptis ſuis utitur Septimius Tertullianus, à uulgo maximam partem de/ſumpta.

De calcaria in carbonariam ire.

In De carne Chriſti, Igitur, inquit, de calcaria (quod dici ſolet) in carbonariam, à Marcione ad Apellen. Calcaria, taberna eſt ubi calx aſſeruatur aut uenditur. Sic & Carbonaria à carbonibus. Vſus erit quum res ſordida aut moleſta, æquè ſordi/da aut moleſta mutatur. Quoties itur de piſtrino ad piſtrinum, de officio laborio/ſo ad officium æquè laborioſum. A domino difficili & moroſo, ad dominũ æquè difficilem & moroſum.

Media agina ferri.

In libro aduerſus Hermogenem, Qui inter bonum & malũ ſuo arbitrio agita/tus, in neutram tamen partem pronus & præceps, medię (quod aiunt) aginę æqui librato impetu ferebatur. Dici poteſt de eo quod in neutrã partem propendet, nec ad dexteram nec ad ſiniſtram deflectẽs, ut eſt in Numeris cap. 20. Agina foramen eſt libræ cui ſcapus inſeritur. Vide locum indicatum.

Ad quod uenimus, hoc age.

In Marcionem libro 4. Vt dici ſolet, inquit, Ad quod uenimus, hoc age: Mar/cion aufer etiam illud de Euangelio. Et reliqua. Hoc prouerbium, Hoc age, expli/cat Plutarchus in uita M. Coriolani, ἔοικεν οὖν ὁ νομᾶς κατ' ἄλλα τῶν ἱερῶν ἐφώτας ὀξὺ γνῶτης γεγονέναι, καὶ δὴ καὶ παγκάλως μὲ νομοθετῆσαι πρὸς εὐλάβειαν αὐτοῖς. ὅταν γὰρ ἄρχον/τὸν, ἢ ἱερεῖς πράττωσι τῶν θείων, ὁ κήρυξ πρόσεισι μεγάλῃ φωνῇ βοῶν, ὄκκᾶγε. σημαίνει δ' ἡ φω/νὴ δὴ πρᾶξιν. προσέχειν κελεύουσα τοῖς ἱεροῖς, καὶ μηδὲν ἔργον ἐμβαλεῖν μεταξὺ, μὴ ὂν χρείαν ἀφ/λίας, ὡς τὰ πλεῖστα τῶν ἀνθρωπίνων ἀναγκαίῳ τινὶ χρόπῳ, καὶ δεῖ βίας πραινόμενα. Hoc eſt, Videtur igitur Numa quum in aliis quæ ad ſacra pertinent ſapientiſſimus præce/ptor fuiſſe, tum hoc perꝯ bene inſtituiſſe ad pietatem ipſis accommodum. Nam quando principes uel ſacerdotes peragunt aliquod ſacrum, accedit præco magna uoce clamans, HOC AGE. ſignificat autẽ Latinis ea uox, Hoc fac. Quo uerbo iu bentur attendere ad ſacra, & interim nulli operi locũ facere aut occupationis ne/ceſſitati, quemadmodum in negocijs humanis ſæpe contingit, quæ nunc neceſſita te aliqua, nunc per uiolentiam & tumultũ abruptè & incompoſitè geruntur. Ha/ctenus Plutarchi ſenſum reddidimus. Non poſſum mihi temperare quin hoc lo/co uerba Cypriani martyris adſcribam ex cõmentario in Dominicam orationem. Quãdo ſtamus, inquit, ad orationem fratres dilectiſſimi, uigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis ſecularis & carnalis abſcedat, nec quicꝯ tunc animus quàm id ſolum cogitet quod precatur. Ideo & ſacerdos ante orationẽ Præfatione præmiſſa, parat fratrũ mentes dicendo, SVRSVM COR/DA, ut dum reſpondet plebs, HABEMVS AD DOMINVM, admoneatur nihil aliud ſe quàm dominũ cogitare debere. Hæc Cyprianus. Fecimus huius rei mentionem in Annotationibus, in librum De corona militis.

Perſonam uel caſſidem inducere.

Naſo agere.

Aſpis à uipera uenenum mutuatur.

Ad unam lineam congreſſionem dirigere.

Præducere lineas.

Ad lineas.

Ad gra/

Ad gradum.
Lineæ insistere.
A lineis excidere.
Iisdem lineis dimicare.
Extrema linea non intelligentium.
Funem contentionis ducere.
Controuersiam nectere.
Clausis oculis aliquid agere.
De gradu pellere.
De gradu cedere.
Gradum figere.

Aduersus Praxeam. Hic mecum, inquit, gradū fige. Et infrà. Hic ergo iam gradum uolunt figere stulti, imò cæci. Et reliqua. In De uirginib. uelandis. Vbi enim gradū fiximus, de Apostoli absoluta diffinitione. In De fuga in persecutione, Itaq; quū duces fugiunt, quis de gregario numero sustinebit ad gradū figendū suadere?

Sportulam furunculus captas.
Asinus de Aesopi puteo, modo uenis & statim exclamas.
Locum in balneis occupare.
Viua uoce.
De limine offendere.
Malum foras.
Ex ære collatitio.
Mulum de asino pingere.
Epicitharisma.
Mappa missa.
Scytha tetrior.
Hamaxobio instabilior.
Massageta inhumanior.
Amazonia audacior.
Nubilo obscurior.
Hyeme frigidior.
Gelu fragilior.
Histro fallacior.
Caucaso abruptior.
Per eandem lineam semper serram reciprocare.

In De corona militis, Et quamdiu per hanc lineam serram reciprocabimus? De inani & uano labore dictum.

Fibulam laxare.

In De corona militis, Cæterum subuertit totam substantiam sacramenti causatio eiusmodi, ut etiam uoluntarijs delictis fibulam laxet.

Fibulam imponere.

In libro De Monogamia, Cur nō potuit post apostolos idem spiritus superueniens ad deducendam disciplinam in omnem ueritatem, per gradus temporū (secundum quod Ecclesiastes, Tempus omni rei, inquit, super terram) iam carni fibulam imponere?

Fauos post fella gustare.

In De corona militis, Vt & illam Christi coronam æmuleris, quæ postea ei obuenit: quia & fauos post fella gustauit, nec ante rex gloriæ à cœlestibus salutatus est, quàm rex Iudæorum proscriptus in crucem.

Tanti uitreum: quanti uerum margaritum?

Vtitur hoc prouerbio in Martyribus, quod postea diuus Hieroymus complu-ribus locis citat.

Sub tunica & sinu.

In De fuga in persecutione, Tu autem pro eo paciscéris, inquit, cum Delatore uel milite uel furunculo aliquo Præside, sub tunica & sinu, quod aiunt, ut furtiuo, quem coram toto mundo Christus emit.

Qui fugiebat, rursus præliabitur, ut & rursus forsitan fugiat.

Eodem libro. Dictum olim in Demosthenem ripsaspidem.

Quasi in limine occurrere.

In De Monogamia, Ecce statim, inquit, quasi in limine duo nobis antistites Christianæ sanctitatis occurrunt.

Sua fronte.

Sua fronte proponi dicit, quod libere & aperte debeat proponi, non coactè & tecte. In Monogamia, oportebat igitur omnem cõmunis disciplinæ formam sua fronte proponi.

A toga ad pallium.

In De pallio, Tamen, inquis, ita à toga ad pallium? Quid enim si & à diademate & à sceptro? Et in fine libri, Hæc nimirum indignitas erit, à toga ad pallium. Pallium Græcorum erat & philosophorum. Hoc etiam Romani toga reiecta amicie-bantur. Hinc illud admirantis uulgi dicterium de potentioribus ad religionẽ Christianam trãsgressis, A toga ad pallium. Vnde motus Tertullianus ut scriberet pro pallio librũ. Ammianus Marcellinus de Iuliano Aug. Nanq; in pace, inquit, eius mensarũ tenuitas erat rectè noscentib. admirãda, uelut ad pallium mox reuersuri.

De corio suo ludere.

In De pallio, Hoc soli Chamæleonti, inquit, datum, quod uulgo dictum est, de corio suo ludere.

Omnia tempus reuelat.

In Apologetico cap. 8. Bene autem, inquit, quod omnia tempus reuelat testib. etiam prouerbijs uestris atq; sententijs, ex dispositione naturæ quæ ita ordinauit, ut nihil diu lateat, etiam quod fama non distulit.

Terræ filius.

In Apologetici capite undecimo: Nam & terræ filios uulgus uocat, quorũ genus incertum est.

Stipulam quis in alieno oculo facilius perspicit,
quàm in suo trabem.

In Apologetico capite trigesimo nono, Prouerbium euangelicum Matthæi septimo, & Lucæ sexto capite.

FINIS.

UNIVERSIDAD DE MURCIA

REVERENDISSIMO IN CHRI
STO PATRI, PRINCIPI, AC DOMINO D. Stanislao Turzo Episc. Olomucensi &c. dignissimo, Beatus Rhenanus Seletstadiensis S. D.



VVM in hoc uere aureo renascentium literarum seculo, STANISLAE pręsul eximie, quo nō modo tres illustres linguę passim discunt, sed & quanto quæq; scripta sunt meliora, tāto pluris fiunt, ab omnib. operā dari uideā, ut optimis studijs quisq; pro uirili sua consulat: & alius quidē incognita adhuc Latinis auribus è Græco uertit, alius indocte uel perperam uersa castigat aut elimat: alius Latinos autores iniuria temporū deprauatos, ueterum collatione exemplarium restituit, aut obscuros explicat: Ego sanè ne prorsus sim asymbolus, operæpreciū putaui, si Septimij Tertulliani lucubrationes in publicū emitterem, autoris non minus uetusti quàm insignis, quibus iam per tot secula studiosi sacrarum literarum caruerunt. Atq; quum dispicerem cui nam tam præclara monimenta consecrari deberent, in primis tu dignus mihi uisus es, cui scriptor antiquissimus tāquam optimo patrono dicaretur. Nam ea es eruditione, & optimarum disciplinarum peritia præditus, & ijs perspicacissimi ingenij dotibus polles, eaq; uitæ sanctimonia commendaris, ut autor eruditissimus, acutissimus, feruensq; Christianæ pietatis assertor, libenter in sinum tuum conuolet, nimirum ut ipsum aduersus morosos quosdam, qui perinde ueteribus ac nouis offenduntur, tuo patrocinio defendas. Nec uero patitur epistolaris angustia, ut uirtutes tuas hic deprædicē, quas nō solum Morauia suspicit, sed & tota Germania admiratur: neq; enim latere potest uirtus. Volumen illæ non exiguum desiderent. Quanquā has C. Vrsinus Velius uir quum ob morum grauitatem, tum ob insignem literaturam non immeritò tibi charus, quem utriusq; linguæ exornat peritia, felicissimū in pangendis carminibus, in oratione soluta admirabilem, & Huttenus equestris ordinis apud Germanos ingens ornamentum, ac Ioachimus Vadianus, & clarissimus uir Ianus Dubrauius, quo tu nunc à consilijs uteris, iam pridem dignissimis æternorum monumentorū præconijs immortalitati consecrauerunt. Meretur id eximia liberalitas tua, quam sic in uiros doctos exerces, ut ueteris illius Mecœnatis laudem omnium calculis proximè tibi uendicaris. Suffecerit autem uel hoc unum incomparabilis prudentię probitatisq; tuæ euidentissimum argumentum, quod inclytus Hungariæ rex Ludouicus in maximis regni negocijs tuum plerunq; exquirit cōsilium, & in aulam suam huius rei gratia sæpe te euocat. Quid ni autem id faceret filius, cuius patet

STANISLAI Turzonis laus.

C. Vrsinus Velius

Vdal. Huttē. Io. Vadianus. Ianus Dubrauius

Ludouicus rex Vngariæ

Turzonum familia egregiam Turzonum fidem ac prudentiam iam olim exploratam habuit, & beneficijs non cõtemnendis liberaliter exornauit? Sed cupis fortassis audire quo nam pacto Septimij Tertulliani lucubratiões ad me peruenerint. Audi, rem paucis explicabo. Prosequebamur anno superiori eximiũ illum ciuilis prudentiæ & optimarum literarum antistitem Vdalricum Zasium, quum sodalitatis literariæ salutandæ gratia Seletstadium ueniſſet, Colmariam usq; quò quum ueniſſemus, insignem illum bonorum studiorum fautorem Dn. Iacobum Zimmermanũ illic Decanum adiuimus. In cuius bibliotheca libris exquisitissimis instructa, forte uetustum quendam codicem arripui, nõnulla Tertulliani cõtinẽtem opuscula, quẽ is ex Paterniaco Trãsiurano cœnobio cõmodum attulerat. Hunc quum me uideret auidius euoluere, libenter pro suo candore permisit, ut mecum auferrem. Deinde quum paulò post agerem Argentorati, intellexissemq; Thomam Rappiũ uirum cum primis integrum & literatũ ad Thermas Hercinias, quas uulgus Sylue stres appellat, proficisci uelle, rogaui hominem ut Hirsaugiense cœnobium quod illinc nõ multum abest, adiret, & Tertulliani uolumina, quæ illic extare acceperam, ad nos commodato deferret. Is cum amore nostri tum adiuuandi literas studio, negocium id lubens suscepit. Atq;, audi fortunam, uix dum biduũ fuerat in Thermis, quum reuerendus Abbas Hirsaugiensis cœnobij Benedictinæ familiæ eximium decus unà cum uenerabili patre Nicolao Basellio, nõ tam integritate morum, quàm non uulgari literarum cognitione sanè quàm celebri, illuc quoq; lotum uenit. Quæ res effecit, ut facilius impetraret quod uolebat, cõsuetudine uidelicet & cõtubernij & conuictus fermè menstrua intercedẽte, & Basellio uehemẽter annitente, ut uotis meis satisfieret. Itaq; Tertulliani libros secũ attulit, quos ab illo paulò post apud Basileam agens accepi non minori gaudio, q; si mihi gemmas misisset. Clamabam statim ὦ τ῀ εὐδαιμονίας, felicem me putans, cui tantus thesaurus obtigisset: Et quia tum apud Frobenium præla uacabant, uixdum perspecti libri typis excudi cœpti sunt. Nolebam enim prælorum & commodati uoluminis opportunitatẽ, hoc est, occasionem ipsam amittere, quippe qui scirem intra præstitutum tempus codicem remittendum, & præla si semel alicui operi mãcipentur, expectandũ fore, donec id absoluatur. Quod nisi his rationibus inductus maturandum putassem, nõ fuisset à nobis æditus Tertullianus. Nam si per ocium mihi cõtigisset opus euoluere priusq; informari cœpisset, tot mendis compertis ab ædendo supersedissem. quis enim cum tam corruptis exemplaribus quicq; agere tentet? Enimuero sperabam ego Paterniacensem codicem in hijs saltem libris quos ille complectebatur, Hirsaugiensi subuenturũ, sed diuersum euenit. Si locus mendosus accidisset, ut sunt omnia mendis plena, tam erat utrobiq; corrupta scriptura, ut alter ab altero uideretur descriptus. Sed quoniã hoc intriueram, iuxta prouerbium,

exedundum

exedundum mihi fuit. Quàm uero moleſtus fuerit hic labor, dici nõ poteſt. Hoc unũ tamen mihi ſolatio fuit, q̃d hac opera uidebã cõſuli bonis ſtudijs, & gaudebam uetuſtiſſimũ inter eccleſiaſticos ſcriptorẽ, qui primus è Chriſtianis apud Latinos rem euangelicam à temeritate hæreticorũ ſtuduit aſſerere, erutum è tenebris luce donari. Quanq̃ erant quæ inter legendum me offenderent, de quibus paulò poſt diſputabimus: ſed cogitabam apud me, eſſe ueterem autorem, & inter Latinos omnium primum, qui omnia cõcilia anteceſſiſſet, in quibus de uarijs rebus ſtatutũ eſt, de quibus aliter olim ſenſerunt ueteres: itaq̃ boni conſulenda, & in meliorem interpretanda partem, quæ apud hunc legerentur non apertis conciliorum ſanctionibus, aut illuſtrium doctorum ſcriptis damnata. Quem animum ſi candidus quiſq̃ lector attulerit, nihil dubito quin in perq̃ paucis ſit offendẽdus. Fateor enim in nouæ prophetiæ mentione, cuius nonnunquam meminit, & in Monogamiæ libro, ubi uim facit uerbis Apoſtolicis, quæ ad ſuam cauſam contentioſe torquet, quemlibet pium multũ offendi: ſed illa magis eſt ridicula & ſtultior, q̃ cui fides haberi poſſit, etiam ſi illam Romanus Pontifex nullus damnaſſet: ab hac autem hodie nõ ita multum eſt diſcriminis, quum polygamia tam paſsim celebretur: ut mittam quod autoritate patrũ orthodoxorum, iuxta diui Pauli doctrinam, Monogamia relata eſt in claſſem eorum, quæ cõſuluntur, non quæ præcipiuntur, imò ſemper in eo numero fuit, quemadmodum, & cœlibatus, contra quorundam hæreticorum ſententiam, qui ſtupro ſecundas nuptias æquabant. Sed quanquam Tertullianum diuus Hieronymus, æmulatione clericorum Romanorum in eam Montani hæreſim ſecundas nuptias deteſtãtis, prolapſum eſſe ſcribit, uideo tamen quid illum mouerit ut Monogamiam ſuaderet, nimirum quod diem illum ultimum, quem ipſe quodam loco diem expeditionis eleganter uocat, non multũ abeſſe putabat, in qua opinione non ea ſolum ætas fuit, ſed & Gregorius magnus Tiberi inundãte præter morem, adeſſe iam mundi finem arbitrabatur. Et quod uidebat quantum periculi eſſet Chriſtianiſmo ex imparibus coniugijs, quũ Chriſtiana mulier gentili marito ſociaretur, quod tum crebro fiebat, ut de cæteris communis uitæ officijs taceamus, quibus quum magis aſtringantur coniugati, fortaſsis nonnihil impediatur interdũ is, qui toto pectore Chriſto ſeruire cupit, præſertim ea ætate, qua Chriſtiani inter ethnicos degebant, illos nõnunquam affinitate contingentes. Et affectibus mundanis magis ſunt obnoxij, qui liberos habent. Prima autem illa naſcentis eccleſiæ tempora ferro tranſigebantur, & ſanguine fundendo pro Chriſto, & aduerſis fortiter pro religione perpetiendis erãt occupata. Quam etiam ob cauſam diuus Hieronymus minus fauere nuptijs uiſus eſt, ut non deeſſent, qui uirum optimum uelut Montaniſten ſubaccuſarent. Vnde purgãs ſe ſic ad Marcellam ſcribit: Nos, inquit, ſecundas nuptias non tam appetimus q̃ concedimus

In Tertulliano quædam offendere uidentur

Noua prophetia Monogamia

Cur iniquior matrimonio Tertullianus

Hieronymus fautor uirginitatis & cœlibatus

concedimus, Paulo iubente, ut uiduæ adolescentulæ nubant: Illi in tantũ putant scelerata coniugia iterata, ut quicunq; hoc fecerit, adulter habeatur. Atque utinam Tertullianus tantum consuluisset unas nuptias, non etiam præcepisset, certe melius illius scripta audirent. Nam tametsi quasdam opiniones interdum secutus est, quæ hodie prorsus sunt ab orthodoxis damnatę, tamen nihil æque in causa fuit, ut illius opuscula in numerum apocryphorum referrentur, ut quod Nouæ prophetiæ nõnunquam meminit, & Monogamiam Mõtanicam propugnat. Siquidẽ in notissimo illo Gelasij Pontificis decreto, cuius initium sancta Romana ecclesia, Tertulliani libellis primariam autoritatẽ adimit pontificia censura. Non quod uetet illos legi, sed quod nolit illos publicè legi in templis, propter nimiã autoris uetustatem, παραδοξότοπον nonnunquam uel loquentis, uel quorundam ueterum dogmata secuti, quæ postea testimonijs sacrarum literarum conuicta sint, & ita damnata. Nam hoc significat apocryphi uocabulum, occultum uidelicet, quod nõ publicè, & in templis pronunciari debeat, sed priuatim & domi legi possit. Nec mirum est uetustissimos illos scriptores, Papiam, Miltiadem, Irenæum, & Iustinum apud Græcos, & Tertullianum, Apollinarium, Arnobium, & Lactantium apud nos, quædã fortassis prodidisse, quæ postea fuerint per autoritatem synodalem reprobata, quum hoc quod est in artibus & prophanis disciplinis, ut à posterioribus maiores superentur quotidie aliquid adijcientibus, & quod ab illis utcunq; inuentũ est consummatius reddentibus, etiam in re theologica usu uenerit, ut Hieronymi seculo homines multo subtilius fortasse philosophati sint de diuinis quàm ætate Tertulliani. Et qui hodie uiuunt Theologi, multo se putãt etiam acutiores omnibus ueteribus, quibus acumen quidem non adimo, sed doctrinam parem non concedo, quum hos multi potius philosophos appellandos censeant quàm Theologos. Tametsi fauore diuini numinis passim nunc Theologi, qui in solis istis contentiosis scriptoribus, quos Scholasticos uocant, antehac uersabantur, ueteres autores incipiunt euoluere, quæ res quantum emolumenti sit allatura toti mundo, breui apparebit. Me sanè nihil magis extimulauit, ut hunc uetustissimum Theologum in lucem emitterem, quàm ut Theologis gratificarer, quorum interest non summulas modo neotericorum deuorare, uerum præstantissimum atq; uetustissimum quenq; diuinarum literarum enarratorem perquàm diligenter excutere. In quo genere primum occupat locum Tertullianus omnium disciplinarum exactè peritus, & in arcanis literis nulli secundus. Philosophiam calluit egregie, disputandi rationem summe tenuit, in rhetoricis exercitatissimus, in omi antiquitatis & gentilium literarum cognitione consummatissimus, quam ei laudem Eusebij ecclesiastica historia tribuit. Nam in libro de Carne Christi, & de resurrectione carnis, quantus in philosophia fuerit, aperte commonstrat, dum tantum

Apocryphũ

Aeditionis causa

Eruditio Septimij Tertul.

argu-

argumentorum illinc profert, tam appoſite, tam denſe, tam acute, ut nihil apud nos extet in hac re, quod cum illo conferri poſſit. In libris aduerſus hæreticos quàm animoſe, quàm docte orthodoxã pietatem propugnat? quorum lectio nobis etiam hoc cõmodi præbet, quod cognoſcimus plenius quibuſnam præſtigijs & erroribus ueteres illi hæretici, quorũ hodie tãtum nomina tenemus, hominũ mentes ludificati fuerint. Nominatim aũt quinq; libris illis aduerſus Marcionem quid doctius? in quibus inſanum hominem tam acriter urget, ut nõ habentẽ quod reſpondeat, aut quo elabatur, fortiſſimis argumentorũ nexibus cõſtringat, quod dum facit, totum Euangelium, & Paulinas epiſtolas omneis cũ ueteri inſtrumento confert, & pulchre conſentire docet, quæ ille ἐκ διαμέτρου diſcrepare contendebat. Acceptum dubio procul diuinæ prouidentiæ ferre debemus, quod quum tot autorũ monimenta perierint qui contra Marcionem ſtilum exeruerunt, hoc duntaxat opus Tertul. in noſtram uſq; ætatẽ incolume ſit ſeruatũ, ut appareat manifeſta Marcionis dementia, & Tertulliani ſtudium erga Chriſtianam pietatem tãdem orbi teſtatũ fiat. Quod ſanè uolumen Aur. Prudentius quum ἁμαρτιγένειαν ſcriberet, haud dubie uelut exemplar æmulatus eſt. In cæteris libris de pœnitentia, de cultu fœminarũ ad uxorem ſuam, bone deus, q̃ pie monet, ut profeſſionis noſtræ memores, Chriſtianiſmũ non ſolum uerbis, ſed & factis exprimamus. Apologeticus poſtremo ſcriptus ad gentes pro Chriſtianorũ expurgatione, quas non & eloquentiæ, & eximiæ eruditionis opes oſtẽtat? in quo nõ tã ethnicos ſuperſtitioſę impietatis arguit, q̃ à Chriſtianis omnem mali ſuſpitionem gnauiter depellit. An non talia ſcripta à ſitu, & tenebris uindicata publicare, eſt theſaurum mundo cõmunicare? Quanquam, ut ante teſtatus ſum, ſunt quædam in his quę me offendãt. Sed formoſo nonnunquã corpori, omnibuſq; pulchritudinis numeris commẽdato, neuus aliquis turpiculus ineſt. Enimuero diuus Hieronymus in epiſtola ad Tranquillinum, quum Origenem propter eruditionẽ ſic interdum legendum arbitratur, quomodo Tertullianũ, Nouatum, Arnobium, Apollinarium, & nonnullos eccleſiaſticos ſcriptores, Græcos pariter & Latinos, ut bona eorum eligamus, uitemuſq; cõtraria, iuxta Apoſtolum dicentem: Omnia probate, quæ bona ſunt tenete, hauddubie ſignificat etiam in Tertulliani libris quædam ineſſe reprehendenda, præſertim in his, ut conijcio, quos de ecſtaſi cõſcripſit, qui hodie non comperiuntur, fortaſſis ab illis ſuppreſſi, qui tranquillitati eccleſiæ cõſultum uolebant: nam (eodem autore) in ſeptimo libro operis de ecſtaſi, Montani prophetiã pertinaciter aſſerit. Sed conſilium Hieron. de legendo Origene, nos ad Tertullianum quoq; accommodemus, ſic huius bona recipientes, ut mala reſpuamus. nam & hic (quod idẽ de Origene narrat) ſcripturas in multis bene interpretat⁹ eſt, & prophetarũ obſcura diſſeruit, & tã noui q̃ ueteris teſt. reuelauit maxima ſacramẽta.

Tertul. libros aduerſus Marcionẽ Prudentius graphice uidetur expreſſiſſe

Ignoſcendum ueteribus

Tertullianus quomodo legendus

Porrò

Porrò quum nihil sit in gentilium literis uel tam prophanũ, uel tam obscœnum, quod non magnifice æditum à Christianis legatur, cur tam uetustus autor qui primus inter Latinos sacris enarrãdis manus est admolitus, & nascentem Christi doctrinã laboriosissimis scriptis adiuuare tentauit, supprimi debeat nõ uideo. Et quæ Christianismi pernicies ex impuris quorundã ethnicorum libris oriatur, notius est quàm ut hic sit indicandum. Enimuero ne quid tale ex Tertulliani uoluminib. accidat, si cui non satis sunt argumenta singulis libris præfixa, & annotationes in marginibus adiectæ, monemus ut lecturus hunc autorem, libellum illum cui titulus est: Definitiones ecclesiasticorũ dogmatũ, qui inter opera diui Aurelij Augustini extat: quum tamen non sit totus illius, sed diuersorum, diligentissime prius euoluat, ut si quid aliter à Tertulliano traditum legerit, ex eo libello sciat quid ab orthodoxis patribus in diuersis synodis sit statutum, quas quum omneis antecesserit Tertullianus, exceptis illis quatuor synodis Apostolicis, quarum Acta meminerunt, minus mirandum est si sui seculi sit interdum opiniones sequutus. Multum sanè ad huius nos autoris lectionem animare debet, quod diuus Cyprianus hunc suum magistrum uocauerit, nullum diem transmittẽs in quo non aliquid in huius opusculis legeret. Et Nepotianũ celebrans Hieronymus à lectione Tertulliani commendat, quum inquit, Sermo eius per omne conuiuium de scripturis aliquid proponere. Illud, aiebat, Tertulliani, istud Cypriani: hoc Lactantij, illud Hilarij est. Idem ex damnato libro de Monogamia non ueritus est Paulinum docere quomodo sancti sint qui de fidelibus, id est, baptizatis nascũtur, ut appareat prudẽtem lectorem etiam ex spinis rosam, & undecunque profectum capere posse. Satis nunc puto liquere reuerendissime pater, quid spectans has Septimij Tertulliani lucubrationes inuulgarim. Quæ sanè æditio quantis mihi laboribus constiterit, paucis dici nequeat. Non enim solum attulit difficultatem prodigiosa codicum deprauatio, uerumetiam affectati stili durities molestiam addidit: Itaque quando loca mendosa deprehendebam, & non subuenirent exemplaria, sciens religiose esse tractanda autorum scripta non secus ac res sacras, nihil mutare uolui (qui tamẽ multis mos est) sed cõiecturas quæ tum in mentem fortè ueniebant, in marginibus adieci, quarum nõnullæ nec mihi multum arrident, uerum cupiebam lectorem dubitaturũ adiuuare: quod si non ubique succesit, non est idcirco damnandus conatus. Vtinam mihi copia fuisset exemplaris, quod in Gorziensi cœnobio seruatur, id abest ad tertiũ miliariũ ab urbe Mediomatricum, & item eius quod apud Fuldam extat, uel eius quod esse Romæ ferunt. Sed spacijs iniqui temporis excluſi nõ potuimus ea nanciſci. Quanquam uereor nihil nostris esse emẽdatiora, quando codices, quibus usi sumus Hirsaugiensis & Paterniacensis tam cõstanter per omnia consentiebant, ex diuersis allati bibliothecis, & non uno tempore de-

Definitiones ecclesiasticorũ dogmatũ.

Molestissimi labores æditionis huius

UNIVERSIDAD DE MURCIA

re descripti. Sed hunc conferendi laborem alijs committemus. Nec miretur quisquam cur tot mendæ in Tertulliani scriptis inoleuerint: quarum præcipuæ causæ sunt, neglectus autoris, quo multis annis non est lectorum manibus tritus, & ipsum dicendi genus affectatum & Aphricanum, quod etiam magis effecit, ut minus legeretur, quàm quiduis aliud. Quod superest precor, ut tua celsitudo Tertullianum uelut ab inferis in hanc lucem reuersum suscipiat ac legat, aperte cognitura quantum interfit inter modum tractandi diuinas literas ueterum & recentiorum istorum. Et me suorum clientulorum numero ascribat. Bene ualeat R. D. T. cui me commendo. Basileæ Calend. Iulijs. Anno M. D. XXI.

Causæ depravationis operum Tertul.

VITA Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, PER BEATVM RHENANVM.

DE TERTVLLIANO, quum uicinus uixerit Apostolorum temporibus, pauca reperiũtur apud autores qui adhuc extant. Siquidem omnes fermè qui illius ætate scripserũt, & paulò post, penitus interciderunt, quorum in catalogo scriptorum ecclesiasticorum à Hieronymo fit mentio. Proinde quum antiquiora non habeamus, uitam illius ex eo Hieronymi libello huc transcribemus. Tertullianus (inquit) presbyter, nũc demum primus post Victorem & Apollonium Latinorum ponitur, prouinciæ Aphricæ, ciuitatis Carthaginẽsis, patre Centurione proconsulari. Hic acris & uehementis ingenij sub Seuero principe & Antonino Caracalla floruit, multaq; scripsit uolumina, quæ quia nota sunt pluribus, prætermittimus. Vidi ego quendam Paulum Concordiæ, quod oppidũ Italiæ est, senem qui se beati Cypriani iam grãdis ætatis notarium, quum ipse admodum esset adolescens, Romæ uidisse diceret, referreq; sibi solitum, nunquam Cyprianum absq; Tertulliani lectione unam diem prętermisse: Ac sibi crebrò dicere, Da magistrum: Tertullianum uidelicet significans. Hic quum usq; ad mediam ætatem presbyter ecclesiæ permãsisset, inuidia postea & contumelijs clericorum Romanæ ecclesiæ, ad Montani dogma delapsus in multis libris nouæ prophetiæ meminit. Specialiter autem aduersum ecclesiã texuit uolumina, De pudicitia, De persecutione, De ieiunijs, De Monogamia, De Ecstasi libros sex, & septimum quem aduersum Apollonium composuit. Ferturq; uixisse usq; ad decrepitam ætatem, & multa quæ non extant opuscula condidisse. Hactenus Hieronymus. Porrò quod inuidiam & cõtumelias clericorum Romanæ ecclesiæ in causa fuisse scribit, ut ad Montani dogma fuerit prolapsus Tertullianus, forte hoc fuit quod cum Mõtano fauere nonnihil uideretur, statim communione ecclesiæ priuatus est priusquam illi se totum addiceret. Qua re cõmotus in partes Montani transijt, planè eas approbãs, quas tantum ante sibi non displicere significauerat. Atq; hoc propemodũ est quod Paulinus de clericis Romanis Seuero Sulpitio cõqueritur, quum inquit, Romæ quoque pauci etiam in clero ipso, à quo solo uidemur scãdalizari, morsu inuidiæ commouentur. Sed domino gratias, qui & mihi miserrimo peccatori suo dedit dicere:

Tertullianus Carthaginensis

Quoniã oderunt me gratis. Quod tamen ad me pertinet, cum ipsis quoq; qui oderunt pacem meam, mente pacificus sum. Si quis enim uult contentiosus esse, hoc nostra consuetudo non recipit. Horum tamen ipsorum qui nos odisse, & à consortio sanctitatis suæ segregare dicuntur, uix ad nos tenuis fama perlabitur, & ab auribus nostris spinarum sepe munitis, & aura frigida, uelut importunũ uacui culicis murmur excluditur. Hæc Paulinus. Eusebius etiam in opere suo Chronico testatur Tertullianũ sub Seuero floruisse, quum hoc imperante gesta adnotans inquit: Tertullianus Afer Centurionis Proconsularis filius, omnium ecclesiarum sermone celebratur. Cæterum quum in libro de Monogamia Tertullianus ait: Magis nunc tempus in collecto factum est, annis circiter CLX. exinde productis, ab ætate diui Pauli supputationẽ temporis init: Nam post mediam ætatem (ut inquit Hieronymus) ad partes Montani defecit. Igitur nõ admodum iuuenis de Monogamia scripsit. Lactantius Firmianus diuinarum institutionũ lib. 5. capite primo, recensens quosdam ex ueteribus, qui rem Christianam tutandam aduersus ethnicos susceperunt: Septimius quoq; Tertullianus, inquit, fuit omni genere literarũ peritus, sed in loquendo parum facilis, & minus comptus, & multũ obscurus fuit. Ergo ne hic quidem satis celebritatis inuenit. Idem in tertio capite eiusdem libri: Quanquã, inquit, Tertullianus eandem causam plenè perorauerit in eo libro, cui Apologetico nomen est. Loquitur autem de causa Christianorum. Vxorem porrò habuit, ad quam scripsit duos libros, adhortans eam ad castitatem & uitam uidualem, si ipsum contingat priorem è uiuis excedere. Autor est Aur. Augustinus, illum relictis Montani sectatoribus, sua separatim instituisse conuenticula. Forte quod Montanistarum impietatem non probaret. Meminit in opusculis quæ nos ædidimus, quorundã aliorum librorũ quos non putamus hodie extare, uidelicet, De spectaculis, De spe fidelium, De testimonio animæ, aduersus Apellem Hæreticum, De anima. Quorundam etiam meminit Hieronymus qui non cõperiuntur. Varius est in Phrasi. In disputationibus dilucidior est ac simplicior. In locis communibus uelut de pallio, de cultu mulierũ, est durior & affectatior. Vixit aũt usq; ad decrepitam ætatem. Cæterum omittere non possumus quod Regino scriptor ille rerum Germanicarum inter martyres Tertullianum recenset, qui in ecclesiæ persecutione pro Christo sanguinem fuderunt. Quod quia nõ traditur à diuo Hieronymo, qui tam cãdide huic fauit, ut hoc haud fuerit omissurus, apud me fidẽ nõ meretur. Fuit igitur alius quispiam huius nominis.

Eusebius

Lactantius Firmianus

ARGVMENTVM LIBRI SEQVENTIS per Beatum Rhenanum.

SCribit Tertullianus quasi Encomium Patientiæ, deum ipsum afferens patientiæ exemplum. Per contentionem mox impatientiam depingit, huius diabolum faciens autorem, ut illius deum. Concludit impatientiã omnis esse mali seminarium. Paulò post impatientiæ causas ac stimulos Euangelica doctrina retundit. Adhortatur ad patiẽtiam, deinde testimoniis & similitudinibus, ut ipse loquitur, dominicis. Affert in exemplum Esaiam, Stephanum & Iob. In fine patientis effigiem graphice delineat, adulterinam & diabolicam ethnicorum patientiã abominans. Liber est Paræneticí generis. Diuus Cæcilius Cyprianus Tertulliani studiosissimus, qui ut olim Apelles nullam diem sine linea iuxta prouerbium, sic nunq; ullam diem intermisit, quin huius scriptoris aliquid legeret, Da magistrum solitus dicere, quoties Tertulliani uolumen aliquod à notario suo poscceret, Is inquã Cyprianus simili argumento libellum texuit, cui titulus De bono patientiæ, qui inter sermones in peruulgatis æditionibus refertur. Hac pia cõmendabilíq; æmulatione etiam de habitu uirginũ scripsit, nitidior aliquãto faciliorq; hoc nostro autore.

Verebatur

Verebatur enim sanctissimus martyr ne, quod postea accidit, tam insignis scripta uiri intercidèrent, abhorrētibus iam tum ab eius lectione plerisq; quod infeliciter sese ab ecclesia separasset. Adeo aūt sibi familiarem fecerat assidue legēdo Cyprianus, ut nonnunq; ijsdem exemplis ijsdemq; sententijs ubiq; utatur, quemadmodū indicabimus in scholijs nostris. Enimuero uehemēti ardore magnoq; affectu Tertullianus pro orthodoxa religiōe scribit, disputat, pugnat, ut liqueat eum nihil fingere, ueræ pietatis atq; martyrij amantibus semper gratissimus, ne quis tantū propter patriæ fauorē ut Aphrum Aphro placuisse putet. Nec loquitur solū magna, uerum etiam indubiè uixit. Sed tamen neuis non caret, ut nihil ex omni parte beatum. Cęterū errores utcunq; excusari possunt. Secessio nullū recipit patrocinium.

ANNOTATIONES IN LIBRVM SEQVENTEM.

DIsputare super eo quod frui nō datur.) Dicimus utrunq;, & fruor hanc rem, & fruor hac re. Qui cum uacent à sanitate.) Tertulliano non satis est dicere, Vacent sanitate, nisi præpositionē à addat, quod perpetuo ferè facit. Etiam qui cæca uiuunt.) Hic elegantiā Græcam affectat. nam solent illi aduerbia plurati uè nominū instar usurpare. Expone ergo cæca pro cæcè. Non prorsum dissimilis apud Cyprianū locutio est, quū inquit De bono patientię, Qui non loquimur magna, sed uiuimus. Simile est Lucretianum illud, Acerba tuens, pro acerbè. Tantum illi subsignant.) Hoc est, tanti patientiam faciunt, tantum ei tribuunt. Subsignare pro subscribere & fauere. Aduersus Marcionē libro primo, In uobis est, si uelitis illi obsequium subsignare. Caninæ æquanimitatis stupore formata.) Intelligit Cynicam siue Diogenicā tolerantiam. Hūc locum æmulator Tertulliani Cyprianus in modo citato libello suauiter edisserens, Apparet, inquit, nō esse illic ueram patientiā, ubi sit insolens affectatæ libertatis audacia, & exerti ac seminudi pectoris inuerecunda iactantia. Sed uiua ac cœlestis disciplinæ diuina dispositio diligat.) Pro diligat aliquando nobis scribendū esse uisum est, dirigat. Nuncin delegat mutauimus. non malè, ut putamus. Est delegare, iniungere seu cōmittere aliquid. Sic lib. 2. aduer. Marc. Nec cautionē eius delegasset sub metu mortis. Porrò cœlestē disciplinā uocat à Christo missō cœlitus, institutā. Quā magisterijs cœlestibus discimus inquit Cyprianus in De bono patientiæ, ueluti declarās quod hic dixit Tertul. Cœlestis disciplinæ diuina dispositio. Temporū officia.) Nā Ver suo tepore fruges prolicit, Aestas calore cōcoquit. Elementorū seruitia.) Refrigerat enim aer, calefacit ignis, irrigat aqua, terra fructificat. Totius genituræ tributa.) Per tributa genituræ, conceptum nutricationēq; fœtus in utero & partum ipsum intelligit. Genitura enim huic natiuitas est. Qui florē lucis huius super iustos & iniustos.) Et hunc locū suauiter edisserens Cyprianus, Qualis uero in deo, inquit, & quanta patientia, quod in contumeliā suæ maiestatis & honoris instituta ab hominibus profana templa, & terrena figmēta, & sacra sacrilega patientissimè sustinens, super bonos & malos æqualiter facit diem nasci & lumen solis oboriri: & quum hymbribus terrā rigat, nemo à beneficijs eius excluditur, quo minus iustis similiter & iniustis indiscretas pluuias largiat? Videmus inseparabili æqualitate patientiæ nocentibus & innoxijs, religiosis & impijs, gratias agentib. & ingratis, dei nutu tempora obsequi, elementa famulari, spirare uentos, fontes fluere, grādescere copias messiū, fructus mitescere uinearū, exuberare pomis arbusta, nemora frondescere, prata florere &c. Nomen, familiā ipsius persequentes.) Solet omittere cōiunctiones Tertul. quæ res obscuritatē sępe parit. Sic aūt nomen accipit, ut in De resurrectione carnis, cum pro nominis fide in mediū extracta: & Lactantius lib. 5. de philosopho quodā loquens, Tres, inquit, libros euomuit contra religionem nomenq; Christianū, Cyprianus. Illos nominis sui semper inimicos.

Nasci se deus in utero patitur matris.) Hęc Cyprianus copiose explicat. Omnes denique actus eius ab ipso statim aduentu patientia comite signātur. quod primum de illa sublimitate cœlesti ad terrena descendens, nō aspernatur dei filius carnē hominis induere. Et à seruo suo tingitur.) Cyprianus. Dominus baptizatur à seruo. Et tentatoris cōgressus solis uerbis repellit.) Cyprianus. Cū diabolo tentante congreditur, & inimicū tantum uicisse contentus, nil ultra uerba conatur. Absolutè scilicet ueniam offensæ patientiæ eruditus.) Quam uidelicet offensa patientia dare solet, hoc est, ignoscentiā. Atquin ipse lauand.) Atquin usurpat perpetuo pro atqui. Quod semel annotasse sufficiat. Talia multa librarij uetustis exemplaribus inuexerūt. Sic & alioquin recepit usus pro alioqui. Cœlestes ignes repræsentari uoluissent.) Hoc uerbo Cyprianus etiam sic utitur. Tūc repræsentatur, inquit, pœna impio & peccatori, quando iam nō potest pœnitentia prodesse peccanti. Et statim in præsentiarū aliquid infligi siue exhiberi. Sicq; ab idoneis autoribus usurpatur. Horatius. Virtutē ne repræsentet mores q; Catonis. Parum hoc, si nō etiam proditorē suum. Cyprianus hijs uerbis sententiā istam circūloqui tur. Nec mirandū, inquit, q; circa obedientes talis extiterit, qui Iudā potuit asq; ad extremū longa patiētia sustinere, cibū cum inimico sumere, hostem domesticū scire, nec palàm ostendere. Ergo quod Tertul. dicit, denotare, id uelut explicans Cyprianus dixit ostendere. Ne unius quidē discentis gladiū ultorem probauit.) Discentē uocat discipulū complurib. locis, sicut Audiētes, auditores in lib. de pœnit. In De uera carne Christi, Sed quid iam, inquit, discentes Pontici illius. In lib. præscript. aduer. hęret. Et discentib. inquit, meis eadē ad uos prædicare mandauerā. In
3 telligit aūt hic Petrū. Eodem. Etiā proprij, inquit, discētes & successores eorū. Et structio.) Structionē usurpat pro instructione, ut alibi structius cōparatiuū pro instructius, & structus pro instructus, ut in hoc lib. paulò post, De suo experimēto, inquit, quid ad peccatū adiutaret, structus. In lib. de resur. carnis, Quot steriles, inquit utriusq; naturæ infructuosis genitalib. structi. Secundū moratos.) Hoc est, ut moratos, siue in moratis, id est, inter moratos. græci sermonis æmulatio est. nam ἐν præpositio cum accusat. cōstructa, similitudinē etiam significat. Et dicunt illi οἱ κατ' ἀγορὰν, id est, qui secundū forū, innuētes eos qui in foro uersantur, hoc est, forenses. Non in cōpede aut pileo uertitur.) Prius illud seruitutē & pœnā, posterius manumissionē libertatēq; respicit. Vergil interpres Seruius, autor est, seruos in Feroniæ tēplo olim raso capite pileū accipere solitos. Erat em insigne libertatis, pileū. Hinc illud, Ad pileū uocare seruos, passim apud autores obuiū. Nō dehominib. modo seruitute subnixis.) Sic Cyprianus angelica maiestate subnixus dixit, de Lucifero loquēs in libel. de zelo & liuore. Ille angelica maiestate subnixus, ille deo acceptus & charus &c. Neutrū alteri facere.) Videtur dictum à Tertul. Neutrū alteri facere, pro eo quod est, neutrū cum altero facere, id est, neutrū alteri cōsentire. Vt nobis nō magis à malo aliquid boni, q; à Bono ali. m. d. u. p.) Mali uocabulo diabolū intelligit, ut Boni deū. Et quasi in præscript. cōpendio,) Vocabulo præscriptionis hic utitur, ceu in libris sequentib. sæpe. In lib. de carne Christi. Sed plenius, inquit, eiusmodi præscriptionib. aduer. oēs hæreses, alibi iam usi sumus. Igitur natales impatientiæ.) Appellat impatientiæ natales, originē siue ini
4 tium impatientiæ, Sic lib. i. aduer. Marc. natales agnitionis dixit, Idcirco, inquit, à pentateucho natales agnitionis supputabūtur. Et in lib. de Pallio, Natales mundi. Ab ipsius, inquit, mūdi natalib. cōpotes sumus. Aut malitiā ab impatientia auspicatā.) Frequēter hoc participio passiuè utitur. Per quā primus deliquerat.) Repo suimus, Per quā primus delinquere intrauerit. Cōsentiētibus exemplarib. Paterniacensi Gorziensiq;. Quod à malo hauserat.) Hoc est diabolo. Et circa diabo li circūscriptionē.) Deceptionē intelligit qua diabolus Euā circūuenerat. hanc refutare

futare debebat Adam. Circũscribere decipere significat. & Ciceroni circũscribere senatũ est autoritate senatũ priuare, tracta à fabris aut chirurgis metaphora qui quę pręcisuri sunt, prius circũscribũt. Et reuera primi parẽtes nostri à diabolo sunt circũscripti, cuius astu de paradiso sunt eiecti, atq; exilio dãnati, omni iure possessionis sibi adempto. At ubi succidit impatientiæ.) Ex Gorziensi castigatione reposuimus aduerb. semel, quod in prioribus ædit. omissum erat. At ubi semel succidit. Facile usurpari ab impat. cœpit.) Vsurpãt proprie ad quos ius possessionis spectat. Sic impat. ueluti iam possidens hominẽ facile eum ad quiduis traxit quod deũ offenderet. Oblationes suas ad dominũ recusatas.) Ex Gorziensi collatione emẽdauimus, A dño recusatas. Per hæc impat. tunc inf.) Hæc uerba cum pręcedentib. cõnexuimus hoc modo, Demõstrat q. p. i. g. ad. e. r. à q. i. s. est, per hæc impatientiæ tũc infantis quodãmodo incunabula, cæterũ quanta mox incrementa. Nec mirũ. Si prima deliq. &c. Porrò quia Gor. exemplar intellexi clausulam istã cõtinere, Cæterũ quanta mox incremẽta, astipulante Hirsaugiẽsi codice, eandẽ ascripsi in cõtextu. Eleganter aũt uir undequaq; doctiss. Tertul. incunabula impatientiæ uocat prima exordia ac quasi rudimenta. Alioqui incunabula pro natalib. & origine sumere solent autores. Iustinus lib. xij. Si nõ solũ tyrocinia, uerum etiã incunabula in ipsis castris posuissent. Idẽ lib. 31. Contrà, Romanos auitos lares, & incunabula maiorũ tẽplaq; ac deorũ simulacra inexplebile desideriũ uidẽdi tenebat. Apte uero addit, infantis. Talis igitur exhedra delictorũ.) Partibus siue mẽbris domus Exhedra annumeratur, aptus & paratus ad sedendũ locus, à sedib. nomen habẽs. Hæc in primis apud Græcos in usu fuit, quam Ro. quoq; sunt ęmulati. Docet exhedrarũ ædificationẽ Vitruuius lib. 5. Hic accipitur pro sede & nido loculamentoq; uitiorũ. Respicit em ad id quod ante dixit, Impatientiã esse matricem in omne delictum, Item, Omne peccatum impatientiæ ascribendum. 5

Post mannæ escatilem pluuiam, post petræ aquatilem sequelam.) Hic audis scholasticam phrasin eius temporis. Quando ne dignè quidem malefacere cõcessum est.) Hoc est. Illis qui cõmeruerunt ut malè tractentur, digni huiusmodi talione. Ita detrimentũ patientiæ, fastid. op. p.) Obscura sentẽtia. Videtur sic intelligenda distinguẽdaq;, Ita dñs præministrauit patiẽtiæ detrimentũ, subaudi rei familiaris, fastidiũ opulentiæ, hoc est, contemptũ diuitiarũ. Appositiuè. Vt sit sensus, Dñs prius ostẽdit patiẽtię tolerandũ esse detrimentũ rei familiaris, dũ docet diuitias esse cõtẽnendas. Sic aptè cohærebit clausula quæ sequitur. Læsuras quoq; earũ cõputãdas nõ esse.) Lęsuras uocat detrimẽta siue dispendia, quũ aliquid de re famil. nostra amittitur. Potuisset dicere iacturas, sed placuit nouum uocabulũ. Sic in De resur. Carnis, Pressuras em & læsuras quib. corrũpitur homo exterior. Eodem lib. Ex læsuris & animæ & carnis obueniũt. Itaq; si denuo adfecti impatienter sensserimus.) Emendauimus nostrũ iudiciũ secuti, impatientes erimus. Quũ deniq; ludo, & castris sese locãt.) Ludũ gladiatoriũ intelligit, cuius præfectus lanista dicebatur. Per castra militiam. Quũ per uiam more bestiarum latrocinãtur.) Codex Paterniac. ostendit aperte scripsisse Tertullianũ, Quum per uiã in mores bestiarũ latrocinantur. Vt sit, In mores bestiarum, pro more bestiarum. In modo dicto libro quidam offensus hac lectione, in mores uerterat in memores. 6

Dominica monela.) Sic monelã usurpat à monendo pro monitione, sicut à sequendo sequelã. Paulò ante, post petræ aquatilẽ sequelam sperant de domino. Sic lib. aduersus Marcionẽ v. Imò, inquit, nostri monela de cœlo. Quiuis ictus ille sit.) In hac lectione cõsentiunt exẽplaria manu descripta. Dixit, Quiuis pro quantuscunq;. Non uasculorũ inquinamentis, sed eorum quę ex ore promuntur, hominem cõmunicare.) Quod apud Matth. xv. cap. legitur nõ semel, λοινοῖ τὸν ἄνθρωπον, Tertul. uertit cõmunicat, quemadmodũ etiam Aur. Augustl. legit. Est autem

κοινοῦν cõmune facere. Et quia Iudęi quod impurum est, id ipsi cõmune uocant, fa
ctum est ut κοινοῦν siue cõmunicare sit illis coinquinare, ceu uetus Euangeliorum
æditio habet in quibusdã exemplarib. præcipuè nostris. Erasmus elegãtissimè uer
tit, impurũ reddere. Cæterũ quũ hic dicit hominem cõmunicare, subaudi seipsum.
Ne sit opus actiuã uocem in passiuã mutare. Tametsi ipse sic potius loqui uidetur,
Cõmunicare inquinamentis in datiuo, pro impurari inquinamentis &c. Tum in
7 Sed eorũ subaudi inquinamentis. Eodem exitu dispungetur.) Dispungere dele
re est, & inducere, sumpta translatione à cæratis tabulis nomina continentibus, in
quibus ea quæ dissoluta sunt graphio dispungũtur delenturq;. Nam hoc uerbum
ad ratiocinia pertinere docet Vlpianus Iureconsultus, quũ inquit, Dispungere est
cõferre accepta & data. C. de uerborum signific. Si alios consecutos impatiẽter
dolemus.) Ex Gorziensib. annotationib. scripsimus, Ergo uotum si alios consecu
tos imp. dol. Hoc quidẽ loco cummaximè.) Aduerbio cummaximè nusq; non
utitur, pro præsertim siue præcipuè. Quod apud alios autores tum apud Teren. le
gitur. Sic in lib. de resurrect. carnis. Quo cummaximè diuisionẽ istam materiæ or
dinamus. Tamẽ iudicãtis impatientiã cauit.) Synecdochica locutio huic autori
familiarissima, ut præpositionẽ ἀπὸ subintelligamus, secundũ uel per impatientiã.
Cauere aũt iuris uerbũ. Cauet sibi aliquis ab aliquo. Huiusmodi impatientia in
cusare consueuerat.) Posset etiam legi incursare. Quod uero sequitur, Quoties in
stantia eius. Et hoc iuris uerbum est. Quod si patiẽtiæ incubabo.) Incubare pro
indormire, translatione sumpta à rebus charis, quas ne perdamus etiam quũ dor
mimus nobis supponimus custodiæ causa. Cyprianus in de Eleemosyna. Quid di
uitijs tuis solus incubas? Sic in præscriptionib. Tertul. pectori eius, inquit, incubã.
Pro incumbere dixit in lib. de resurrect. carnis, Et de isto, inquit, cœlo quod nobis
incubat. Nam quũ Maro cecinit, Ponto nox incubat atra, rem incommodam uio
lentãq; uoluit exprimere. Sanè Plinius aliter loquit in initio lib. ij. de natura agẽs,
Aut, si una oẽs incubaret, hoc est foueret, ab auibus fœtificãtib. sumpta metapho
ra. Necessarior iniuriæ med. pat.) Cõparatiuũ inusitatũ. Sic necessarius dixit in
neutro genere in De carne Christi, Quasi, inquit, necessarius aliquid adferrent, eo
8 quod ille tum maximè agebat. Certemus igitur quæ à malo infliguntur.) Et hic
Mali nomine diabolũ intellígit. Hũc quoq; malignũ uocat in lib. cui titulus, De fu
ga in persecutione, Sed erue nos, inquit, à maligno, id est, ne nos induxeris in tẽta
tionẽ, permittẽdo nos maligno. Sic eñ πονηρὸν uertit. Paulò post rursum. Aut ma
li insidijs. Quia qua ex parte, aut erroríb. nostris, aut Mali insidijs, aut admoni
tionib. domini.) Interuenimus errorib. nostris, aut Mali insidijs, cũ nos illis oppo
nimus non cõsentiendo, sed euitãdo potius. Sic olim Tribunus senatusconsulti inter
cedebat. At admonitionib. domini interuenimus, quũ illis obsequimur. Sic infrà,
Omnibus mandatis eius interuenit. Itaq; talib. & aduocatio & risus promitti
tur.) Aduocationis uocabulo cõsolationẽ accipe. nam sic uertit Græcã dictionem
παράκλησιν. Quod pacis gratissimæ deo attinet disciplinã.) Attinere disciplinam
dicit, pro disciplinæ seu ad disciplinã attinere. Negocium cõuenientia soluet.)
9 Conuenientiã usurpat substãtiuè, pro cõuentione & pacto. Nemo cõuulsus ani
mum.) Figurata locutio. Hæc expectat, hæc exoptat pœnitentiã.) In antiquis
codicibus tertium uerbum additur, nempè in Paterniacensi exortat, in Gorzien
si, etortat. His ergo scripsimus in contextu, Hæc expectat, hæc exoptat, hæc etor
tat pœnitentiam, quandoq; inituris salutem. Dixit fortassis etortat forma frequen
tatiua pro extortat ab extorqueo. Sensus est, patientia nõ solum expectat atq; exo
ptat, uerumetiã extorquet pœnitentiã, hoc est, cogit eos quos sic æquanimiter to
lerat, ad pœnitentiam faciendam, ut aliquãdo salutem inire possint. Et quia addit,
Solitæ lapsis subuenire, loqui uidetur de Christianis, seu uiris seu fœminis, qui se
ethnicis

ethnicis in matrimonio cõiungunt. Hic aliquando contingebat, ut uxor Christiana marito ethnico tandem cõtinentiã persuaderet. quam amplexus ille seruabat. mulier uero pœnitentiam agebat, atq; prius factum expiabat apud ecclesiam iuxta ritum eius temporis. Atq; hoc est quod sequitur, Quantum boni utriq; confert, alterum adulterum nõ facit, alterum emendat. Cõsentit quod infrà dicit, Pœnitentiam expectat, exhomologesim assignat. Dilectio, inquit, magnanimis est.) Paulinum uerbum μακροθυμεῖ uertit Tertullianus magnanimis est, quod uocabulum latinum insolens est. Sed suo more loqui solet. Cyprianus æmulator Tertulliani, sed stili purioris, Charitas, inquit, magnanima est. Idẽ μακροθυμίαν magnanimitatem reddidit in De eleemosyna. Alijs magis placet longanimis & longanimitas. Ita patientiam sumit.) Per magnanimitatem uidelicet patientiã amplectitur. Nam pusillanimitas impatientiæ coniuncta esse solet. Non proterit.) Quod diuus Paulus dixit οὐκ ἀσχημονεῖ, pro quo Aur. Augustin. legit, non dehonestatur, si quis clarius exprimere uelit, hijs uerbis possit, nihil sibi indecorum putat. Tertullianus noster respicies ad id quod ex huiusmodi fastidio sequi solet, quum arrogantiusculi censemus nos non decere ut in humilioribus officijs inseruiamus proximo, uertit, Non proterit. nam contemnentis est protrudere, & pedibus sub mouere eum quem colloquio auxilióue quis putet indignũ. Posset etiam legi, Nõ præterit. Nam præterire fastidientis est. Cum eandem etiam in corpore demerendo domino multipliciter ad laborem.) Quanquã refragentur exemplaria manu scripta quę uidimus omnia, tamẽ ausus sum mutare lectionẽ hoc modo, Cũ eadem etiam in corpore, demerendo domino multipliciter adlaboret. Sanè adlaborandi uerbo Horatius quoque est usus Odarũ libro primo, Simplici myrto nihil adlabores, sedulus curo. Vtpote quæ ab ipso domino in Apostolis sustinendo uicerit.) Aut ab ipso domino, id est post ipsum dominũ. Aut largiẽte domino, quod tamen minus placet. Videtur enim uelle dicere, Patientiã primum in Christo luxisse, deinde in Apostolis. Lapidatur Stephanus, sed ueniam hostibus suis postulat.) Scripsimus, & ueniã host. s. p. Non poteris, inquit, ista perferre, nisi tolerantiæ & patientiæ teneas firmitatem. quod factum uidemus in Stephano, qui quum à Iudæis ui & lapidibus necaretur, non sibi uindictam, sed interfectoribus ueniam postulabat dicens, Domine, ne statuas illis hoc peccatũ. Sic esse oportuit primum martyrẽ Christi, qui martyres secuturos glorioſa morte præcurrens, nõ tantum dominicæ passionis prædicator esset, sed & patientissimæ lenitatis imitator. Omnem patientiæ speciem expunxit.) Expunxit, id est, præstitit. Metaphora est à nominibus dissolutis, quæ ueteres in Calendarijs punctis confodiebant, uel potius uerso stilo delebant. Scribebant autem in cæris ut plurimum. Intelligit Iob. Sic Cyprianus in De bono patientiæ expuncta morte dixit, Huius, inquit, sententiæ uinculo colligati omnes & constricti sumus, donec morte expuncta de isto seculo recedamus. Hunc porrò locum de Iob idem Cyprianus mutatis uerbis æmulatur. Nõ illæ in pecore diuitiæ.) Illę emphasim habet. Quale in illo uiro feretrũ deus diabolo extruxit:) Inter instrumenta triumphi, feretrũ est in quo pompa fertur. Intellige in quo diabolus triumpharetur, deo trophæũ statuente. nam Iob per diuinã gratiam diabolũ uicit, impatiẽtiæ neutiq; succũbens. Q.D. Quale trophæũ de diabolo deus erexit? Olim circũferebantur arma deuictarum gentiũ in põpa, mox suspendebãtur. Aptè ergo sequitur. Quale uexillũ. Cũ ille homo ad omnẽ aceruũ nuntiorũ.) Id illuc respicit quod in historia Iob legimus, Quumq; adhuc ille loqueretur, uenit alter & dixit, Et iterũ, Sed adhuc illo loquente, uenit alius & dixit. Et tertio. Adhuc loquebaẽ ille, & ecce alius intrauit & dixit. Vt istũ nunciorũ sub idem tẽpus irrũpentiũ accursum, aceruũ nunciorũ appellet.

In eosdem

In eosdem ſpecus & paſtus reformaſſe.) Indicauimus in margine libri, foraminoſæ carnis uideri legẽdum. Idq; uocabulum magis arridet, quàm ut ſcribatur uel refoſſæ uel reforatæ, quemadmodũ aliàs admonuimus. Magis enim refert Aphricanam phraſim. Et ueſtigia deprauatæ dictionis hanc nobis coniecturã certò perſuadent. Mox pro recuperatam ſcripſimus recuperauit, ex collatione Gorzienſi.

Sed maluit in illo die.) Intelligit diem extremi iudicij. Adeo ſatis idoneus patientiæ ſequeſter deus.) Elegantiſſime dictum à uiro undequaq; doctiſſimo. Sequeſter eſt Modeſtino Iurecõſulto definiente, apud quem plures eandem rem, de qua controuerſia eſt, deponunt, ſic dictus autore Lauinio, quem citat A. Gellius, quod eius utraq; pars fidem ſequatur. Fidem munit, pacem gubernat.) Simile patientiæ encomium nõ omiſit æmulator Tertulliani Cyprianus in De bono patientiæ, Patientia eſt, inquit, quæ nos deo & cõmendat & ſeruat &c. Tentationes inculcat.) Inculcat, hoc eſt ſuppeditat, proculcat. Si nõ cum ſpiritu admiſerimus, in nobis morabitur ſemper.) Hic uarijs aliàs coniecturis diſtracti ſumus. Verum ſimplicius uidetur, ſi pro non, legamus, nos, hoc modo, Si nos cum ſpiritu admiſerimus, in nobis morabitur ſemper. Aut ſi cum ſpiritu. Nam pro morabitur legere inorabit, pro in extremitate uerſabitur ab ora deducto uerbo, prorſus durum & abſurdum uidetur, quanq; in libro De reſurrectione carnis ſic loqui uidetur, At enim & calix bene ſibi conſcius, & de diligentia miniſterij cõmendatus, coronis quoq; potatoris ſui inorabitur, pro eo quod eſt in ora ſiue extremitate cingetur. Vt illic indicabimus. Solus ſuſtinere nõ poterit.) Emendauimus, ſola ſuſtinere non poterit, ſic exigente ſenſu, nam de patientia loquitur.

11 Hæc patientiæ ratio, hæc diſciplina.) Hanc ſententiam ſic arbitror legendam & intelligendam. Hæc patientiæ ratio, hæc diſciplina, hęc opera cœleſtis & ueræ, ſubaudi patientiæ, ſcilicet Chriſtiana. ſ. opera: non ut illa patientia gentium terrena, falſa, probroſa. Nam opponitur terrena cœleſti, & falſa ueræ. Domino diabolus æmularetur.) Aemulari cum datiuo conſtruit. Iuſtinus lib. 7. Siquidẽ amiſſo cui æmulari cõſueuerant, in ſegnitiam torporemq; reſoluti. Sic & Fabius loquitur. Magnitudinis par eſt.) Par cum genitiuo iungere ſolet, ſic in libro De præſcriptionib. aduerſus hæreticos, A diabolo ſcilicet, inquit, cuius ſunt pares. Et aduerſus Marcionem lib. 5. Dicimus, inquit, circũferri ab Apoſtolo aut creatorem, aut (quod nolit Marcion) parem creatoris. Id in pleriſq; uocibus adiectiuis facit, pro datiuo genitiuum uſurpãs. Quæ aucupandis orbitatibus.) Notat teſtamentorum captatores. Quos ſatyra duodecima arguit Iuuenalis. Quæ uentris operarios cõtumelioſis patrocinijs ſ. l. gulę addicit.) Appellat operarios uentris, cum paraſitos & alienarum menſarũ aſſeclas, quibus nihil aliud magis eſt curæ, quàm ut uentri ſatisfiat: tum eos qui ſe in diuitum clientelam tradũt, quibus illi poſtea abutãtur. nam contumelioſorũ patrociniorum nomine, patronos contumelioſos intelligit, quibus tamen ob uentrem replendum clientes, imò propudioſa mancipia nuſquam nõ obſequantur. Huiuſmodi partim ſatyra quinta, partim nona notat Iuuenalis. Ordinabis ſic uerba, Quæ, ſubaudi patiẽtia, operarios uentris addicit gulæ, hoc eſt uenundat, ſiue in nexum dat gulæ, nam utrunq; ſignificat addicere. ſubiectione libertatis cõtumelioſis patrocinijs, hoc eſt, ſubijciendo libertatem contumelioſis patrocinijs. Paraſitos & uentris mancipia Græci γαστρὶ δουλεύοντας appellant, & in Sympoſiacis Plutarchus non minus eleganter q̃ uere τῇ γαστρὶ ὁ τῇ ψυχῇ σωφρόνιστος uocat. Quam patientia.) Quam ſubaudi patientiam Gentilium, patientia ſ. ig. expectat, id eſt æterna damnatio. Sed uiderint ſua & ſui præſides.) Sui præſides dixit, pro eorum.

UNIVERSIDAD DE MURCIA

Q. SEPTIMII FLOREN
TIS TERTVLLIANI PRESBY
TERI, DE PATIENTIA, LIBER.



CONFITEOR ad dominum deum satis temere me, si non etiam impudenter de patientia compo/ nere ausum, cui præstandæ idoneus omnino non sum, ut homo nullius boni: quando oporteat de/ monstrationem & commendationem alicuius rei adortos, ipsos prius in administratione eius rei de prehendi, & constantiam commonendi propriæ conuersationis autoritate dirigere, ne dicta factis deficientibus erubescant. Atq; utinam erubescere istud remedium ferat, uti pudor non exhibendi, quod alijs suggestum imus, exhibendi fiat magiste/ rium: nisi quod bonorum quorundam sicuti & malorum, intolerabilis ma/ gnitudo est: ut ad capienda & præstanda ea, sola gratia diuinæ inspiratio/ nis operetur. NAM quod maxime bonũ, id maximè penes deum, nec alius id quàm qui possidet dispensat, ut cuiq; dignatur. Itaq; uelut solatium erit 1
disputare super eo quod frui non datur, uice languentium, qui cum uacent à sanitate, de bonis eius tacere non norunt. Ita miserrimus ego, semper æger caloribus impatientiæ, quam nõ obtineo, patientiæ sanitatem, & suspirem & inuocem & perorem necesse est, cũ recordor, & in meæ imbecillitatis cõ/ templatione digero, bonam fidei ualetudinem, & dominicæ disciplinæ sani tatem, non facile cuiquã, nisi patientia adsideat, prouenire. Ita proposita dei rebus est, ut nullum præceptum obire quis, nullum opus domino complaci tum perpetrare extraneus à patientia possit: bonum eius, etiam qui cæca ui/ uunt, summæ uirtutis appellatione honorent. Philosophi quidem qui ali/ cuius sapientiæ animalia deputantur, tantum illi subsignant, ut cũ inter sese uarijs sectarum libidinibus & sententiarum æmulationibus discordent, so/ lius tamẽ patientiæ in commune memores, huic uni studiorum suorũ com miserint pacem. In eam conspirant, in eam fœderantur, illi in adfectatione uirtutis unanimiter studeant, omnem sapientiæ ostentationem de patientia præferunt. Grande testimonium eius est, cum etiam uanas seculi disciplinas, ad laudem & gloriam promouet. Aut nunquid potius iniuria, cum di/ uina res in secularibus artibus uolutatur? Sed uiderint illi quos mox sapien tiæ suæ cũ seculo destructæ ac dedecoratæ pudebit. Nobis exercendæ pa/ tientiæ autoritatem, non adfectatio humana caninæ æquanimitatis stupo/ re formata, sed uiua ac cœlestis disciplinæ diuina dispositio delegat, deum ipsum ostendens patientię exemplum: iam primum qui florem lucis huius super iustos & iniustos æqualiter spargit: qui temporum officia, elemento/

Cæca uiuunt, id est, cæcam uitam ducũt. Intelligit gentiles 2

Caninæ æquanimitatis stupor

rum ſeruitia,totius genituræ tributa dignis ſimul & indignis patiatur occurrere, ſuſtinens ingratiſſimas Nationes,ludibria artiũ & opera manuum ſuarum adorantes,nomen,familiam ipſius perſequentes,luxuriam,auaritiam, iniquitatem,malignitatem cottidie inſoleſcentem, ut ſua ſibi patientia detrahat:plures enim dominum idcirco non credunt,quia ſeculo iratum tam diu neſciunt.Et hæc quidem diuinæ patientiæ ſpecies,quaſi de longinquo, fors ut de ſupernis,æſtimetur. Quid illa autem quæ inter homines palàm in terris quodammodo manu apprehenſa eſt? Naſci ſe deus in utero patitur matris,& expectat,natus adoleſcere ſuſtinet,& adultus nõ geſtit agnoſci,ſed cõtumelioſus inſuper ſibi eſt,et à ſeruo ſuo tingitur,et tentatoris congreſſus ſolis uerbis repellit.Cum de domino ſit magiſter,docẽs hominem euadere mortem, abſolutè ſcilicet ueniã offenſæ patientiæ eruditus, nõ contendit,non reclamauit,nec quiſquam in plateis uocem eius audiuit, arundinem quaſſatam non fregit,linum fumigans non reſtinxit. Nec enim mentitus fuerat propheta,imò ipſius dei conteſtatio,ſpiritum ſuum in filio cum tota patientia collocantis.Nullum uolentem ſibi adhærere nõ ſuſcepit:nullius menſam tectumúe deſpexit. Atquin ipſe lauandis diſcipulorum pedibus miniſtrauit.Non peccatores,non publicanos aſpernatus eſt.Nõ illi ſaltem ciuitati quę eum recipere noluerat iratus eſt,cum etiã diſcipuli tam contumelioſo oppido cœleſtes ignes repræſentari uoluiſſent.Ingratos curauit, inſidiatoribus ceſſit.Parum hoc, ſi non etiam proditorem ſuum ſecum habuit,nec conſtanter denotauit. Cum uero traditur,cum adducitur,ut pecus ad uictimam(ſic enim non magis aperit os,quàm agnus ſub tondentis poteſtate)ille,cui legiones angelorum,ſi uoluiſſet, uno dicto de cœlis adfuiſſent, ne unius quidem diſcentis gladium ultorem probauit.Patientia domini in Malcho uulnerata eſt. Itaq; & gladij opera maledixit in poſterum,et ſanitatis reſtitutione ei,quem non ipſe uexauerat,ſatisfecit per patientiam, miſericordiæ matrem. Taceo quod figitur.in hoc enim uenerat. Nunquid tamen ſubeundæ morti etiam contumelijs opus fuerat? Sed ſaginari uoluptate patientiæ diſceſſurus uolebat.Deſpuitur,uerberatur, deridetur,fœdis ueſtitur,fœdioribus coronatur.Mira æquanimitatis fides. Qui in hominis figura propoſuerat latere,nihil de impatientia hominis imitatus eſt. Hinc uel maxime Phariſæi dominum agnoſcere debuiſtis,patientiam huiuſmodi nemo hominum perpetraret. Talia tantaq; documenta,quorum magnitudo penes Nationes quidem detrectatio fidei eſt,penes nos uero ratio & 3 ſtructio,ſatis aperte non ſermonibus modo in præcipiendo,ſed etiam paſſionibus domini ſuſtinendo,probant,his,quibus credere datum eſt,patientiam dei eſſe naturam effectam,& præſtantiã ingenitæ cuiuſdam proprietatis.Igitur ſi probos quoſq; ſeruos,& bonæ mentis,pro ingenio domini co cõuerſari uidemus(ſiquidem artificium promerendi, obſequium eſt: obſequij

Diſcẽtis,id eſt diſcipuli, uidelicet Petri.

Patientia miſericordiæ mater

obſequium

ſequĩ uero diſciplina, morigera ſubiectio eſt) quanto magis nos ſecundum moratos inueniri oportet? ſeruos ſcilicet dei uiui, cuius iudiciũ in ſuos, non in cõpede, aut pileo uertitur, ſed in ęternitate, aut pœnæ, aut ſalutis. Cui ſeueritati declinandæ, uel liberalitati inuitandæ, tanta obſequĩ diligẽtia opus eſt, quanta ſunt ipſa, quæ aut ſeueritas comminatur, aut liberalitas pollicetur. Et tamen nos nõ de hominibus modo ſeruitute ſubnixis, uel quolibet alio iure debitoribus obſequĩ, uerum etiam de pecudibus, etiam de beſtijs obedientiam exprimimus, intelligentes uſibus noſtris eas à domino prouiſas traditasq;. Meliora ergo nobis erunt in obſequĩ diſciplina, quæ nobis deus ſubdit? agnoſcunt deniq; quæ obediunt. nos cui ſoli ſubditi ſumus, domino ſcilicet, auſcultare dubitamus? At q̃ iniuſtum eſt, q̃ etiam ingratum, quod per alterius indulgentiam de alijs conſequaris, idem illi per quẽ conſequeris, de temetipſo non rependere? Nec pluribus de obſequĩ exhibitione, debita à nobis domino deo. Satis enim agnitio dei quid ſibi incumbat, intelligit. Ne tamẽ ut extraneum de obſequio uideamur interieciſſe, ipſum quoq; obſequium de patientia trahitur. Nunq̃ impatiens obſequitur, aut patiens quis obluctatur. Quam ergo dominus omnium bonorum & demonſtrator & acceptor, deus in ſemetipſo circumtulit, quis de bono eius latere retractet? cui item dubium ſit omne bonum, quia ad deum pertineat, pertinentibus ad deum tota mente ſectandũ? Per quæ in expedito & quaſi in præſcriptionis compendio & cõmendatio & exhortatio de patientia conſtitutum eſt. Veruntamen procedere diſputationem de neceſſarijs fidei nõ eſt ocioſum, quia nec infructuoſum. Loquacitas in ædificatione nulla turpis, ſi quando turpis. Itaq; ſi de aliquo bono ſermo eſt, res poſtulat contrarium quoq; boni recenſere. Quid enim ſectandum ſit magis inluminabis, ſi quod uitandum ſit proinde digeſſeris. Conſideremus igitur de impatientia: an ſicut patientia in deo, ita aduerſaria eius in aduerſario noſtro nata atque comperta ſit: ut ex iſto appareat, quàm principaliter fidei aduerſetur. Nam quod ab æmulo dei conceptum eſt, utique nõ eſt amicum dei rebus. Eadem diſcordia eſt rerum, quæ & autorum. Porrò cum deus optimus, diabolus econtrario peſſimus, ipſa ſui diuerſitate teſtantur, neutrum alteri facere, ut nobis non magis à Malo aliquid boni, quàm à Bono aliquid mali dictũ uideri poſſit. Igitur natales impatientiæ in ipſo diabolo deprehendo, iam tunc cum dominum deum uniuerſa opera quæ feciſſet, imagini ſuę id eſt homini ſubieciſſe impatienter tulit. Nec enim doluiſſet, ſi ſuſtinuiſſet: nec inuidiſſet homini, ſi non doluiſſet. Adeo decepit eum, quia inuiderat. Inuiderat autem, quia doluerat. Doluerat, quia patienter utiq; non tulerat. Quid primum fuerit ille angelus perditionis, malus an impatiens cõtemno quærere: palàm cum ſit, impatientiam cum malitia, aut malitiam ab impatientia auſpicatã, deinde inter ſe conſpiraſſe, & indiuiduas in uno patris ſinu

Iudicium dei non in compede aut pileo uertitur

Obſequium

Præſcriptio

Impatientia

Angelus perditionis

adoleuisse. At enim quam primus sẽserat, per quam delinquere intrauerit, de suo experimento quid ad peccãdum adiutaret structus, eandem impingendo in crimen homini aduocauit. conuenta statim illi mulier, non temere dixerim per conloquium ipsum eius afflata est spiritu impatientia infecto. usqueadeo nunquam omnino peccasset, si diuino interdicto patientiã præseruasset. Quid quod non sustinuit sola cõuenta, sed apud Adam nondum maritum, nondum aures sibi debentem, impatiens etiam tacendi est? ad traducem illum eius quod à Malo hauserat, facit. Perit igitur & alius homo per impatientiam alterius: perit mox & ipse per impatientiam suã utrobique commissam, & circa dei præmonitionem, & circa diaboli circumscriptionem: illam seruare, hanc refutare non sustinens. Hinc prima iudicij unde delicti origo: hinc deus irasci exorsus, unde offendere homo inductus. Inde in deo prima patientia, unde indignatio prima. Qui tunc maledictione sola contentus, ab animaduersionis impetu in diabolo temperauit. Aut quod crimen ante istud impatientiæ admissum homini imputatur? Innocens erat & deo de proximo amicus, & paradisi colonus. Aut ubi semel succidit impatientiæ, desiuit deo sapere, desiuit cœlestia sustinere posse. Exinde homo terrę datus, & ab oculis dei eiectus, facile usurpari ab impatientia cœpit in omne quod deum offenderet. Nam statim illa semine diaboli concepta, malitiæ fœcunditate iram filium procreauit: æditũ suis artibus erudijt. Quod enim ipsum Adam & Euam morti immerserat, docuit & filium ab homicidio incipere. Frustra istud impatientiæ adscripserim, si Cain ille primus homicida, & primus fratricida, oblationes suas à domino recusatas æquanimiter nec impatienter tulit: si iratus fratri suo non est, si neminem denicq; interemit. Cum ergo nec occidere potuerit, nisi iratus: nec irasci, nisi impatiens, demõstrat quod per iram gessit, ad eam referendum, à qua ira suggesta est, per hæc impatientiæ tunc infantis quodammodo incunabula. Cęterum quanta mox incrementa? nec mirum. Si prima deliquit, consequens est ut quia prima, idcirco & sola sit matrix in omne delictum, defundens de suo fonte uarias criminum uenas. De homicidio quidem dictum est. Sed ira æditum à primordio, etiam quascunq; postmodum causas sibi inuenit, ad impatientiam ut ad originem sui confert. Siue enim quis inimicitijs, siue prædę gratia id scelus conficit, prius est ut aut odij aut auaritiæ fiat impatiens. Quicquid compellit, sine impatientia sui nõ est, ut perfici possit. Quis adulterium sine libidinis impatientia subijt? Quod & si pretio in fœminis cogitur uenditio illa pudicitię, utique impatientia contemnendi lucri ordinatur. Hæc ut principalia penes dominum delicta. Nam ut cõpendio dictum sit, omne peccatum impatientiæ adscribendum. Malum impatientia est boni. Nemo impudicus non impatiens pudicitiæ, & improbus probitatis, & impius pietatis, & inquietus quietis. Vt malus unusquisq; fiat, bonus

Tradux

Paradisi colonus

Impatientiæ incunabula.

Impatientia, matrix in omne delictũ.

Homicidium

Adulterium

nus perseuerare non poterit. Talis igitur exhedra delictorum, cur non dominum offendat improbatorem malorum? An non ipsum quoque Israel per impatientiam semper in deum deliquisse manifestum est? exinde cum oblitus brachij cœlestis quo Ægyptijs afflictationibus fuerat extractus, de Aaron sibi deos duces postulat, cũ in idolum auri sui collationes defundit: tam necessarias enim Moysi cum domino congredientis impatienter exceperat moras. Post mannæ escatilem pluuiã, post petræ aquatilem sequelam desperant de domino, tridui sitim non sustinendo. nam hæc quoque illis impatiẽtia à domino exprobratur. Ac ne singula peruagemur, nunquàm non per impatientiam delinquendo perierunt. Quomodo autem prophetis manus intulerunt, nisi per impatientiam audiendi? domino autem ipsi, per impatientiam etiam uidendi. Quod si patientiam inissent, liberarentur. Ipsa adeo est, quæ fidẽ & subsequitur, & antecedit, Deniq; Abraham deo credidit, & iustitiæ deputatus ab illo est: sed fidem eius patientia probauit, cum filium immolare iussus est, ad fidei non tentationem dixerim, sed typicam cõtestationem. Cæterum deus quem iustitiæ deputasset, sciebat. Tam graue præceptum, quod nec domino perfici placebat, patienter & audiuit, & si deus uoluisset, implesset. Merito ergo benedictus, quia & fidelis: merito fidelis, quia & patiens. Ita fides patientia illuminata, cũ in Nationes seminaretur, per semen Abrahæ, quod est Christus, & gratiam legi superduceret, ampliandæ adimplendæq; legi adiutricem suam patientiam præfecit, quod ea sola ad iustitiæ doctrinã retro defuisset. Nam olim & oculum pro oculo, & dentem pro dente repetebant, & malum malo fœnerabant: nondum enim patientia in terris, quia nec fides: scilicet interim impatientia occasionibus legis fruebatur. Facile erat absente domino patientiæ & magistro. Qui postquã superuenit, & gratiã fidei patientia cõposuit, iam nec uerbo quidem lacessere, nec fatue quidẽ dicere sine iudicij periculo licet. Prohibita ira, restricti animi, compressa petulantia manus, exemptum linguæ uenenũ: plus lex q̃ amisit, inuenit: dicẽte Christo: Diligite inimicos uestros, & maledicentibus benedicite: & orate pro persecutoribus uestris, ut filij sitis patris uestri cœlestis. Vides quem nobis patrẽ patientia adquirat? Hoc principali præcepto uniuersa patientiæ disciplina succincta est, quãdo ne digne quidẽ malefacere cõcessum est. Iam uero percurrẽtibus nobis causas impatientiæ, cætera quoq; præcepta suis locis respõdebunt. Si detrimento rei familiaris animus concitatur, omni penè in loco de cõtemnendo seculo, scripturis dominicis cõmonetur: nec maior ad pecuniæ contemptũ exhortatio subiacet, quàm quòd ipse dominus in nullis diuitijs inuenitur. Semper pauperes iustificat, diuites prædamnat. Ita detrimentum patientiæ, fastidium opulentiæ præministrauit, demonstrans per abiectionem diuitiarum, læsuras quoq; earũ computandas nõ esse. Quod ergo nobis appetere

Aliàs, excetra

6

Escatilis pluuia Mannæ.

Aquatilis sequela petræ

In Abraham typica fidei contestatio

μωρέ

Diuitiarum cõtemptus

Læsuræ diuitiarum

minime opus est,quia nec dominus appetiuit,detruncatū uel etiam adem-
Cupiditas ptum nō ægre sustinere debemus.Cupiditatem omniū malorum radicem spiritus domini per Apostolū pronunciauit.Eam nō in concupiscentia alie-
ni tantū cōstitutam interpretemur: nam & quod nostrū uidetur,alienū est:
nihil enim nostrum,quoniā dei omnia,cuius ipsi quoq; nos.Itaq; si damno
adfecti impatientes erimus,non de nostro amissum dolentes,adfines cupi-
ditatis deprehendemur.Alienū quærimus,cum alienum amissum ægre su-
stinemus.Qui damni impatientia cōcitatur,terrena cœlestibus anteponen
do,de proximo in deū peccat.Spiritum enim quem à domino sumpsit, se-
cularis rei gratia concutit.Libenter igitur terrena amittamus,cœlestia tuea-
mur.Totum licet seculū pereat,dum patientiam lucrifaciam. Iam qui minu
tum sibi aliquid aut furto,aut etiā ignauia,non constanter sustinere consti-
tuit:nescio an facile,uel ex animo ipse rei suæ manū inferre posset in causa
eleemosynæ.Quis enim ab alio secari omnino non sustinens,ipse ferrum in
corpore suo ducit? Patientia in detrimentis,exercitatio est largiendi & cō-
municandi.Non piget donare eum,qui non timet perdere.Alioquin quo-
modo duas habens tunicas,alteram earū nudo dabit,nisi idem sit,qui aufe-
renti tunicam,etiā pallium offerre possit? Quomodo amicos de mammo-
na fabricabimus nobis,si eū in tantum amauerimus,ut amissum non suffe-
ramus? Peribimus cū perdito.Quid hic inuenimus,ubi habemus amittere?
Gentilium est omnibus detrimentis impatientiam adhibere,qui rem pecu-
niariam fortasse animæ anteponant.Nam & faciunt,cū lucri cupiditatibus
Quæstuosa pericula mercimoniorum exercere. quęstuosa pericula mercimoniorū in mari exercent:cū pecuniæ causa etiam
in foro nihil damnationi timendum adgredi dubitant:cum deniq; ludo &
castris sese locant,cū per uiam more bestiarū latrocinantur.Nos uero secun
Forum causa-rum. dum diuersitatem,qua cum illis sumus,non animam pro pecunia, sed pecu
niam pro anima deponere cōuenit:seu sponte in largiendo,seu patienter in
Ludo & ca-stris sese lo-care amittendo.Ipsam animā,ipsumq; corpus in seculo isto expositū omnibus
ad iniuriam gerimus,eiusq; iniuriæ patientiā subimus: minorum delibatio-
ne lædemur? Absit à seruo Christi tale inquinamentum, ut patientia maio
ribus tentationibus præparata, in friuolis excidat. Si manu quis tentauerit
Dominica mo-nela prouocare,præsto est dominica monela:uerberanti te,inquit,in faciē,etiam
alteram genam obuerte.Fatigetur improbitas,patientia tua. Quiuis ictus il
le sit dolore & cōtumelia cōstrictus,grauius à domino uapulat. Plus impro
bum illum cædis sustinendo.Ab eo enim uapulabit,cuius gratia sustines.Si
linguæ amaritudo,maledicto siue cōuicio eruperit,respice dictū: Cum uos
maledixerint,gaudete.Dominus ipse maledictus in lege est,& tamen solus
est benedictus.Igitur dominum serui consequamur,& maledicamur patien
ter,ut benedicti esse possimus.Si parū æquanimiter audiā dictum aliquod
in me proteruum aut nequā,reddam & ipse amaritudinis uicem necesse est,

aut

aut cruciabor impatientia muta. Cum ergo percussero maledictus, quomodo secutus inueniar doctrinã domini, qua traditũ est, non uasculorũ inquinamentis, sed eorum quæ ex ore promuntur, hominem cõmunicare: Item, Manere nos omnis uani & superuacui dicti reatum? Sequitur ergo ut à quo nos dominus, idem ab alio æquanimiter pati admoneat, hic iam de patientiæ uoluntate. Nam omnis iniuria, seu lingua, seu manu incussa, cum patientiam offenderit, eodẽ exitu dispungetur, quo telum aliquod in petra cõstantissimę duritiæ libratum, & obtusum. Concidet enim ibidem inrita opera & infructuosa, & nonnunquã repercussum in eum, qui emisit reciproco impetu sæuiet. Nempe idcirco quis te lædit ut doleas: quia fructus lędentis in dolore læsi est. Ergo cũ fructum eius euerteris nõ dolendo, ipse doleat necesse est amissione fructus sui: tunc tu non modo inlæsus ibis, quod etiã solũ tibi sufficit, sed insuper aduersarij tui & frustratiõe oblectatus, & dolore defensus. Hæc est patientiæ utilitas & uoluntas. Ne illa quidem impatientiæ species excusatur, in amissione nostrorum, ubi aliqua doloris patrocinatur adsertio. Præponendus est enim respectus denunciationis Apostoli, qui ait: Ne contristemini dormitione cuiusquam, sicut Nationes quæ spe carent. Et merito. Credentes enim resurrectionem Christi, in nostrã quoq; credimus propter quos ille & obijt & resurrexit. Ergo cũ cõstet de resurrectione mortuorum, uacat dolor mortis, uacat & impatientia doloris. Cur ergo doleas, si periisse non credis? Cur impatienter feras subductum interim, quem credis reuersurũ? Profectio est quam putas mortem. Nõ est lugendus qui antecedit, sed planè desiderandus. Id quoq; desideriũ patientia temperandũ. Cur enim immoderate feras abisse, quem mox subsequéris? Cæterum impatientia in huiusmodi, & spei nostræ male ominatur, & fidẽ prævaricatur. Et Christũ lædimus cũ euocatos quosq; ab illo, quasi miserandos nõ æquanimiter accipimus. Cupio, inquit Apostolus, recipi iam & esse cũ domino. Quanto melius ostendit uotum Christianorum. Ergo uotum si alios consecutos impatienter dolemus, ipsi consequi nolumus. Est & alius summus impatientiæ stimulus, ultionis libido, negocium curans aut gloriæ, aut malitiæ. Sed & gloria ubiq; unà & malitia, nunquàm non domino odiosa, hoc quidem loco cum maximè, cum alterius malitia prouocata superiorem se in exequenda ultione constituit, & remunerans nequam duplicat quod semel factum est. Vltio penes errorem solatium uidetur doloris, penes ueritatem certam redarguitur malignitatis. Quid enim refert inter prouocantem & prouocatum, nisi quod ille prior in maleficio deprehenditur, at ille posterior. Tamen uterq; læsi hominis domino reus est: qui omne nequã & prohibet & damnat. Nulla in maleficio ordinis ratio est: nec locus secernit, qd' similitudo coniungit. Absolute itaque præcipitur malum malo non rependendum. Par factum, par habet meritum. Quomodo id obseruabimus, si

Vltionis libido

Litare honorem domino deo

fastidientes in fastidio ultionis non erimus? Quem autem honorem litabimus domino deo, si nobis arbitrium defensionis arrogauerimus? Nos putres, uasa fictilia, seruulis nostris adsumentibus sibi de conseruis ultionem, grauiter offendimur: eosq; qui nobis patientiam obtulerint suam, ut memores humilitatis, seruitutis, ius dominici honoris diligentes, non probamus modo, sed ampliorem quàm ipsi sibi præsumpsissent satisfactionem facimus. Id nobis in domino tam iusto ad æstimandũ, tam potenti ad perficiendum periclitatur? Quid ergo credimus iudicem illũ, si non & ultorem? Hoc se nobis repromittit, dicens: Vindictam mihi, & ego uindicabo, id est: Patientiam mihi, & ego patientiam remunerabo. Cum enim dicit, Nolite iudicare, ne iudicemini, nónne patientiam flagitat? Quis enim non iudicabit alium, nisi qui patiens erit non defendi? Quis idcirco iudicat, ut ignoscat? Ac si ignoscet, tamen iudicantis impatientiam cauit, & honorem unici iudicis, id est dei, abstulit. Quantos uero casus huiusmodi impatientia incusare consueuerat? Quoties pœnituit defensionem? Quotiens instantia eius deterior inuenta est causis suis? Quoniam nihil impatientia susceptum, sine impetu transigi nouit: nihil impetu actum, non aut offendit, aut corruit, aut præceps abijt. Iam si leuius defendaris, insanies: si uberius, oneraberis. Quid mihi cũ ultione, cuius modũ regere non possum per impatientiã doloris? Quod si patientiæ incubabo, nõ dolebo: si nõ dolebo, ulciscinon desiderabo. Post has principales impatientiæ materias, ut potuimus, regestas, quid inter cæteras euagemur, quæ domi, quæ foris? Lata atque diffusa est operatio Mali. Multiplicia spiritus incitamenta iaculantis, & modo paruula, modo maxima. Sed paruula de sua mediocritate contemnas, maximis pro sua exuperantia cedas. Vbi minor iniuria, ibi nulla necessitas impatientiæ. At ubi maior iniuria, ibi necessarior iniuriæ, medela patientiæ. Certemus igitur quæ à Malo infliguntur sustinere, ut hostis studium, æmulatio nostræ æquanimitatis eludat. Si uero quædam ipsi in nos, aut imprudentia, aut sponte etiam superducimus, æque patienter obeamus, quæ nobis imputamus. Quod si à domino nonnulla credimus incuti, cui magis patientiam quàm domino præbeamus? Quin insuper gratulari & gaudere nos docet, dignatione diuinæ castigationis, Ego, inquit, quos diligo, castigo. O seruum illum beatum, cuius emendationi dominus instat: cui dignatur irasci, quem admonendi dissimulatione non decipit. Vndique igitur adstricti sumus officio patientiæ administrandæ. Quia qua ex parte, aut erroribus nostris, aut Mali insidijs, aut admonitionibus domini interuenimus, eius officij magna merces, felicitas scilicet. Quos em̃ felices dominus nisi patientes nuncupauit dicendo: Beati pauperes spiritu, illorũ est enim regnũ cœlorũ. Nullus profecto spiritu pauper, nisi humilis. Quis em̃ humilis nisi patiens? quia nemo subijcere sese potest, sine prima patientia subiectio

Vltio

nis

nis ipſius. Beati, inquit, flentes atq; lugentes. Quis talia ſine patientia tole-
rat? Itaq; talibus & aduocatio & riſus promittitur. Beati mites. Hoc quidem
uocabulo, impatientes nō licet omnino cenſeri. Item cum pacificos eodem
titulo felicitatis notat, & filios dei nūcupat, nunquid impatientes pacis ad-
fines? Stultus hoc ſenſerit. Cū uero gaudete & exultate dicit, quotiens uos
maledicent & perſequentur: merces enim ueſtra plurima in cœlo: id utique
non exultationis impatientiæ pollicetur: quia nemo in aduerſis exultabit, ni
ſi ante ea contempſerit: nemo contemnet, niſi patientiam geſſerit. Quod
pacis gratiſſimæ deo attinet diſciplinā, quis omnino impatientiæ natus, uel
ſemel ignoſcet fratri ſuo? non dicam ſepties, ſed ſeptuagies ſepties? quis iudi
cem cum aduerſario ſuo dirigens, negocium conuenientia ſoluet? niſi prius
iam doleret, duritiam, amaritudinem, uenena ſcilicet impatientiæ amputa-
ret. Quo modo remittes, & remittetur tibi, ſi tenax iniuriæ per abſentiā pa-
tientiæ fueris? Nemo conuulſus animum in fratrem ſuum, munus apud al- 2
tare perficiet, niſi prius reconciliando fratri reuerſus ad patientiā fuerit. Sol
ſuper iram noſtram ſi occiderit, periclitamur. Nō licet nobis una die ſine pa
tientia manere. At enim cum omnem ſpeciem ſalutaris diſciplinę gubernet,
quid mirum quod etiam pœnitentiæ miniſtrat, ſolitæ lapſis ſubuenire, cum Lapſi
diſiuncto matrimonio, ex ea tamen cauſa, qua licet ſeu uiro, ſeu fœminæ ad
uiduitatis perſeuerantiam ſuſtineri, hæc expectat, hæc exoptat, hæc etor-
tat pœnitentiam, quandoq; inituris ſalutem. Quantum boni utriq; cōfert,
alterum adulterum non facit, alterum emendat. Sic & illis dominicarum ſi-
militudinum exemplis de patientia ſanctis adeſt. Erroneam ouem patien-
tia paſtoris requirit & inuenit. Nam impatientia unam facile contemneret.
Sed laborē inquiſitionis patientia ſuſcipit, & humeris inſuper aduehit baiu
lus patiens peccatricem derelictam. Illum quoq; prodigum filium patien-
tia patris & recipit, & ueſtit, & paſcit, & apud impatientiam irati fratris excu
ſat. Saluus eſt igitur qui perierat, quia pœnitentiam inijt. Pœnitentia non CHARI-
perit, quia patientiam inuenit. Nam dilectio ſummum fidei ſacramentum, TAS
Chriſtiani nominis theſaurus, quā Apoſtolus totis uiribus ſancti ſpiritus
cōmendat, cuius niſi patiētiæ diſciplinis eruditur? Dilectio, inquit, magnani μακροθυμεῖ
mis eſt: ita patientiam ſumit. Benefica eſt: malum patientia non facit. Non
æmulatur: id quidem patientiæ proprium eſt. Nec proteruum ſapit: mode
ſtiam de patientia traxit. Non inflatur, non proterit: non enim ad patien- οὐκ ἀσχημο-
tiam pertinet. Nec ſua requirit, ſuffert ſua, dū alteri proſit: nec incitatur. Cæ- νεῖ.
terū quid impatientię reliquiſſet? Ideo, inquit, dilectio omnia ſuſtinet. oīa
tolerat, utiq; quia patiens. Merito ergo nunquam excidet: nam cætera eua-
cuabuntur, conſumabuntur. Exhauriuntur linguæ, ſcientiæ, prophetiæ: per
manent fides, ſpes, dilectio: Fides, quā CHRISTI patientia induxit: Spes,
quam homini patienti induxit: Dilectio, quam deo magiſtro patientia co-
mitatur

mitatur. Vsque huc de patientia tandem simplici & uniformi, & tantum in animo constituta: cum eadem etiam in corpore, demerendo domino multi pliciter adlaboret: utpote quæ ab ipso domino in Apostolis sustinendo ui cerit. His patientiæ uiribus secatur Esaias, & de domino non tacet. Lapidatur Stephanus, & ueniam hostibus suis postulat. O felicissimum illũ quoque, qui omnem patientiæ speciem aduersus omnem diaboli uim expunxit. Quem non abacti greges, non illæ in pecore diuitiæ, nõ filij uno ruinæ impetu adempti, nõ ipsius denicq; corporis in uulnere cruciatus, à patientia (fide domino dedita) excluſit, quem diabolus totis uiribus frustra cæcidit. Neque enim à respectu dei tot doloribus auocatus ille est, sed constitit nobis in exemplum & testimoniũ, tam spiritu quàm carne, tam animo quàm corpore, patientiæ perpetrandæ: ut neq; damnis secularium, nec amissioni-
bus charissimorũ, nec corporis quidem conflictationibus succidamus. Quale in illo uiro feretrũ deus diabolo extruxit? quale uexillum de inimico gloriæ suæ extulit, cum ille homo ad omnem aceruum nunciorum, nihil ex ore promeret, nisi DEO GRATIAS, cum uxorem iam malis delassatam, & ad praua remedia suadentem execraretur? Quid? ridebat deus: quid? dissecabatur Malus, cum Iob immundam ulceris sui redundantiã, magna æquanimitate destringeret: cum erumpentes bestiolas inde, in eosdem specus, & pastus foraminosæ carnis ludẽdo reuocaret. Itaque operarius ille uictoriæ dei, retusis omnibus iaculis tentationum, lorica clypeoq; patientiæ, & integritatẽ mox corporis à deo recuperauit, & quæ amiserat conduplicata possedit. Et si filios quoq; restitui uoluisset, pater iterum uocaretur. Sed maluit in illo die reddi sibi tantum gaudij: securus sic de domino, distulit. sustinuit tam uoluntariam orbitatem, ne sine aliqua patientia uiueret, Adeo satis idoneus patientiæ sequester, deus. Si iniuriam deposueris penes eum, ultor est. Si damnum, restitutor est: si dolorẽ, medicus est: si mortem, resuscitator est. Quantum patientiæ licet, ut deũ habeat debitorem? Nec immerito enim. Omnia enim placita eius tuetur: omnibus mandatis eius interuenit. Fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adiuuat, humilitatẽ instruit, pœnitentiam expectat, exhomologesin adsignat, carnem regit, spiritum seruat, linguam frenat, manum cõtinet, tentationes inculcat, scandala pellit, martyria consumat: pauperem consolatur, diuitem temperat, infirmum nõ extendit, ualentem non consumit, fidelem delectat, gentilem inuitat, seruũ domino, dominum deo commendat, fœminam exornat, uirũ approbat: amatur in puero, laudatur in iuuene, suspicitur in sene: in omni sexu, in omni ætate formosa est. Age iam si & effigiem, habitumq; eius comprehẽdamus. Vultus illi tranquillus & placidus, frons pura, nulla mœroris aut iræ rugositate contracta: remissa æque in lætum modum supercilia, oculis humilitate, non infelicitate deiectis. Os taciturnitatis honore signatum. Color, qualis securis & innoxijs

Esaias Stephanus

Iob

Idoneus patientiæ sequester, deus.

De exhomologesi, id est, cõfessione ecclesiastica quæ apud ueteres in usu fuit, habes in libro de pœnitentia.

Effigies patientiæ.

& innoxijs. Motus frequens capitis in diabolum & minax risus. Cæterum amictus circum pectora candidus, & corpori impressus: ut qui nec inflatur, nec inquietatur. Sedet enim in throno Spiritus eius mitissimi & manuetissimi, qui non turbine glomeratur, nó nubilo luet, sed est tenerae serenitatis, apertus & simplex, quem tertiò uidit Helias. Nam ubi deus, ibidem & alumna eius, patientia scilicet. Cum ergo spiritus dei descendit, indiuidua patientia comitatur eum. Si nos cum spiritu admiserimus, in nobis morabitur semper: imò nescio an diutius perseueret sine sua comite ac ministra. Omni loco ac tempore tangatur necesse est: quodcunq; inimicus eius inflixerit, solus sustinere non poterit, carens instrumento sustinendi. Hæc patientiæ ratio, hæc disciplina, hæc opera cœlestis & ueræ, scilicet Christiana, non ut illa patientia gentiũ terræ, falsa, probrosa. Nam ut in isto quoq; domino diabolus æmularetur, quasi planè ex pari (nisi quòd ipsa diuersitas mali & boni æqualiter magnitudinis par est) docuit & suos patientiam propriã: illam dico, quæ maritos dote uenales, aut lenocinijs negociantes uxorum potestatibus subijcit. Quæ aucupandis orbitatibus omnem coacti obsequij laborem mentitis adfectionibus tolerat: quæ uentris operarios, cõtumelijs patrocinijs subiectione libertatis, gulæ addicit. Talia Nationes patientiæ studia nouerunt: & tanti boni nomen, fœdis operationibus occupãt: patientes solius dei uiuũt (sed uiderint sua & sui Præsides) quã patientia subter ignis expectat. Cæterũ nos amemus patientiam dei, patientiam Christi: rependamus illi, quam pro nobis ipse defendit. Offeramus patientiã spiritus, patientiam carnis, qui in resurrectionem carnis & spiritus credimus.

Habitus patientiæ

Lenocinijs negociari.
Aucupari orbitates.
Ventris operarij.
Contumelioſa patrocinia.
Subiectio libertatis.
Gulæ addicere.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, DE PATIENTIA, FINIS.

ARGVMENTVM LIBRI SEQVENTIS PER BEATVM RHENANVM.

AGIT hoc libro Tertullianus de solida & humana carne Christi contra Marcionem, qui hunc putatiua ac imaginaria fuisse uestitum asseruit, nec natũ, hac usus ratione, quod is qui sine fine est, necessario sit etiam inconuertibilis. Profligato Marcione, huius aliquãdo discipulum, sed paulo post desertorem Apellen aggreditur, qui impostricem illam puellam Philumenen secutus, solidum Christi corpus, sed sine natiuitate suscipiebat: nam dicebat Christum de syderibus & substantijs superioris mundi mutuatum esse carnem.



UNIVERSIDAD DE MURCIA

[redacted] Citat ex hoc libro Tertullianum diuus Hieronymus in primo cõmentario, quem scripsit in epistolam Pauli ad Galatas, hijs quidem uerbis: Eleganter, inquit, in hoc loco uir doctissimus Tertullianus Apellen & eius uirginem Philumenen, quam angelus quidam diabolici spiritus & peruersus impleuerat, hũc esse scribit angelũ, cui multo ante, quàm Apelles nasceretur, spiritus sancti uaticinio sit anathema per Apostolum prophetatũ. Quanquam ex libro de præscriptione hæreticorum potius citasse uidetur, ubi id apostolicum in angelum Apellis itidem torquet: nimirum quod liber ille sit ante hunc conscriptus. Cæterum de anima suam hic quoq; sententiam prodit. Corpus autem uidetur substantiam appellare. Sed hic & alibi meminerit se quisquè Tertullianum legere.

ANNOTATIONES IN LIBRVM SEQVENTEM.

1 ANTE ISTOS Sadducæorum propinquos.) Sadducæi qui iusti interpretantur, autore diuo Hieronymo in Matthęũ, nec angelũ, nec spiritum, nec resurrectionem corporum confitentes, etiam animarum interitum prædicabant. recipiebantq; tantũ quinq; libros Moysi uaticinijs prophetarum reiectis, à Pharisæis dissentientes, quæ duæ erant in Iudæis hæreses. Itaq; Sadducæorum propinquos, hoc est cognatos esse dicit hæreticos resurrectionem carnis pernegantes, uelut qui hunc errorem ab illis sumpserint. Sadducæorum ipse meminit in De præscriptionibus aduersus omnes hæreses, Paulus, inquit, in prima ad Corinthios, notat negatores & dubitatores resurrectionis. Hæc opinio prima Sadducæorum. Partem eius usurpat Marcion, & Apelles, & Valentinus, & si qui alij resurrectionem infringunt. Moratam porrò uocat fidem, stabilem ac firmam atq; in cõcussam. Sic in libro de patientia. In nobis morabitur semper, hoc est, stabilis consistet. Quæ in Christum resurrexit.) Accusatiuum in hoc genus locutionibus sæpe pro ablatiuo ponit, & hunc rursum pro accusatiuo. Vt Et in cœlo resumpta est. De patientia, ipse ferrum in corpore suo ducet. Et alibi, In carcere introijt. Renunciatio eius.) Renunciantur magistratus quum eliguntur, renunciatur amicitia quæ dissoluitur. Hic renunciatio demonstratio est & definitio. Sic in De resur. Carnis. Vt exinde à cadendo cadauer renũcietur, id est, denominetur. Scilicet ne inuicem sibi testimonium redderent, responderent natiuitas & caro.) Asyndeton est, nam solet omittere connexiuas particulas, quæ res obscuritatem sermoni nonnunquã parit, ceu monuimus ante. Sic in libro de patientia, Nomen familiam ipsius persequentes, pro nomen ac familiam. Quem in modum, hic quoq; uerba accipienda subintellecta coniunctione, ac responderent, aut ne particula repetita. Vt & conceptus & prægnatus.) Prægnatum sub forma quartæ inflexionis usurpat pro impregnatione, gaudens huius terminationis uocabulis, ceu docuimus & adhuc docebimus.

[redacted] historiæ

hiſtoriæ ſuæ Euangelicæ. Alioqui legi quoq; poterat, uocibus honorans. Sed reſpexit ad illud Euangelicum, καὶ φυλάσσοντες φυλακὰς τῆς νυκτὸς ὧν τὴν ποίμνην αὐτῶν. Sic & paulo poſt loquitur, Viderint homines ſi natum putabāt, quia hominem uidebant. In libro de patientia. Sed uiderint illi quos mox ſapientiæ ſuæ cū ſeculo deſtructæ ac dedecoratæ pudebit. Rurſum in fine eiuſdem opuſculi. Sed uiderint ſua & ſui præſides. Ne ſenem moriturum exinde conſtet.) Scripſimus, contriſtet. Ex Gorzienſib. caſtigationibus. Quid tanti fuit edocuit.) 2
Gorzienſe exemplar Hirſaugienſi conſentiens hic habet edoce, cum ſciens. Paterniacenſe uero, Quid tanti fuit edocuit. Conijcio ſcripſiſſe Tertullianū, Quid tanti fuit edoce, ut cōſciens Chriſtus quid eſſet, eſſe ſe quod non erat exhiberet: ut ſit conſciens uerſum latinè quod Græcis eſt συνειδὼς. Dicebat autē Marcion ſuffeciſſe Chriſto conſcientiam ſuam. Ab ipſa quidem exorſus natiuitate 3
perora. Age iā.) Sic diſtingue. Ab ipſa quidē exorſus natiuitate, perora age iam ſp.g.in u.el.h. & ſ.f.c.c.ex e.c.a.p.n.m. Deſcribe uterum &c. Nam perorare in accuſatiuo conſtruit in De reſur. Carnis, Vltimaq; diſperſionis exitum perorant. Cum præpoſitiōe in. Aduerſus Marcionem lib. II. Hæc digniſſime peroraturus in creationem. lib. III. Age iam perora in illa ſanctiſſima & reuerenda opera naturæ. Inuehere in totum quod es, ubi totus hic locus repetitur. Grauem anxium, nexum.) Nexum dicit propter colligantiam nerui umbilicaris cum matrice. Exponūt enim quod hic ſignificat, uerba quæ infra legūtur huiuſmodi. Quid auellitur, inquit, niſi quod inhæret, quod infixum, innexum eſt ei, à quo ut auferatur, auellitur: ſi non adhęſit utero, quomodo auulſus eſt? ſi adhæſit qui auulſus eſt, quomodo adhęſiſſet, niſi dum ex utero eſt per illum neruū umbilicariū quaſi folliculi ſui traducē adnexam origini uuluæ? Rurſum libro III I. aduerſus Marcionem, Et primo, inquit, retinaculi ſui uulnere nec multum ablutus. Cum ſuis impedimentis.) Inuolucra illa fœtus ſignificat. Hanc uenationem ὁ Marcion naturæ deſpuis.) Scripſimus uenerationem, conſentientibus exemplaribus antiquis. Intelligit uenerationem quæ naturæ debetur. Senſus eſt. Quod uenerari debueras, tu deſpuis. Sic libro III. aduerſum Marcionem, ſanctiſſima, inquit, & reuerenda opera naturæ. Iuppiter taurus factus aut cygnus.) De Ioue 4
in Taurum mutato fabulam habes apud Ouidiū metamorphoſeon libro ſecundo, In Cygnum libro ſexto. Vt phantaſma uacabat ad ſenſum earum.) Hoc eſt carebat ſenſu earum paſſionum. Deus Marcionis aut aliter non dicereтur.) Cogitandum an legi debeat, Deus Marcion haud aliter nō dic. uocandi ſcilicet caſu, id eſt, ὁ Marcion. Nos certe pro aut aliter ſcripſimus, haud aliter.

Diſtincta eſt.) Abſoluta eſt. Sine tunica ueſtitam.) Tunicæ uocabulo 5
cutē intelligit. Sic in libro ſequenti de carnis reſurrectiōe, Carnem, inquit, quam poſtea pelliceæ tunicæ, id eſt, cutes ſuperductę ueſtierūt. Et mox, Hinc, inquit, & Apoſtolus Circunciſionem, deſpoliationis carnis appellans, tunicam cutem adfirmauit. Quia deo optimo.) Duæ dictiones ſunt, qui à deo opt. Senſus eſt, qui Ieſum aſtruis filium boni dei tantum. Sic infra. Quod extra ſcripturā de tuo infers. Scripſimus mox pro certe fallit, Ecce fallit & decipit. Sed quid iam diſcentes Pontici illius.) Diſcipulos innuit Marcionis ex Ponto oriundi. Sic in primo aduerſum Marcionē, Duos Ponticus deos affert. Dum omnino non natam paruimus. Igitur de calcaria (quod dici ſolet) in carbonariā.) Conijcio pro paruimus à Tertulliano ſcriptum fuiſſe, pariamus, hoc uidelicet modo: pariamus igitur, de calcaria (quod dici ſolet) in carbonariam. Subaudi, euntes, à Marcione ad Apellen. Pariamus, id eſt, in pari ſimilique errore profligando uerſamur. Nam pariandi uerbo ſæpe hic autor utitur, ut monuimus. Facile uero pariamus in pa

ruímus uertí potuit uerbum ínsolens. Cæterum elegans prouerbium eſt, De calcaría in carbonariam ire, quoties de ímpuro loco ad níhilo puriorem nos recipímus. Accípit calcariam & carbonariam ſubſtantíue pro locís ac tabernís ubí aut fiũt aut ueneunt aut ſeruãtur calx & carbones, ut librariã uſurpamus pro bibliotheca. Hęc illic. Qui poſteaquam à diſciplína Marcionis in muliere lapſus.) De Apelle meminit in libro præſcriptionum. Sed lapſus, inquit, in fœmina deſertor continentię Marcionenſis ab oculis ſanctiſſimi magiſtri Alexandriam feceſſit. Rurſum in De hæreſib. Poſt hos ſubſequitur Apelles diſcípulus Marcionis, qui poſteaquam in carnem ſuam lapſus eſt, à Marcione ſegregatus eſt. Itaq; reposuímus hoc loco ſecutí fídem ueterum codícum, In mulíerem carne lapſus.

6 Vtputa natura ſubſtantiæ ſpíritalis.) Hoc eſt, ſubſtantía ſpíritalí ex ſua natura prædíti. Cæterũ quía ualent facere.) Scripſímus, qui ualent. Nec oſtenditur, quíd poſtea factum ſit corporíbus illorum.) Latiníſſimè dictum. Id eſt quo peruenerint. Subauditur de præpoſitio. Sic Cicero in Verrem, Quid te futurum eſt? quo confugies? Plautus, Quíd argento factum eſt quod dedi. Rurſum Cice-
7 ro pro Cluentio, Quíd hoc homíne factum eſt? Nunc ſíc quoq; ſyderea eadem modo.) Repoſuímus, eodem modo. Et ínfra. Hoc captauít nunciatio tenta-
8 toris. Ex Gorzienſi. Níſi quod etſí uacuíſſet tentatiõis ingenium.) Vulgus Aphrorum, opinor, uacuíſſet dícere ſolebat pro uacaſſet, hoc eſt, ſuperuacuũ aut fruſtra fuiſſet. Ac ſi dícamus uacare ſícut dícimus líquere. Vnde formar autor noſter præteritũ, liquuit pro innotuít. Nam quía prouínciales erãt & Romanis ſubiecti, latinè loquebantur, ſed quædam ſuo more pronunciabant. Hoc uerbum ſæpius eſt legere in libris Tertulliani, ut non uídeatur errore librarij factum. Et conſentiunt exemplaria manu deſcripta quæ uídimus omnia. Neceſſarius alíquíd.) Comparatiuum eſt. Tam proxímí.) Tam iungít cum ſuperlatiuo.

Vel de hiſtrionibus aut aurigis contendens.) Alludit ad ſpectacula ac factiones aurigarũ. Nam ſuo quiſq; fauebat. Ideo dícit, cõtendens. Recuſato carnali genere nuncupãt.) Quoniã pręcedit deliniabãt, librarius hic ſcripſit nuncupant.
9 Nos ſcripſimus, quanquã refragãtibus exẽplaribus uetuſtis, nũcupat. Subaudit Chriſtus. Et iſti Apellatiani.) Ab Apelle hæretíco nomẽ habẽt, qui & Apellitæ & Apelliací dicũtur. Cęterũ poteſt hic eſſe occulta alluſio ad negatores carnis Chriſti, quaſi ſine pelle ſiue cute, hoc eſt, carne. Sanè Horatius Iudęũ uocat apellam ficto nomíne quòd ſine pelle ſit, nempè quòd præputiũ nõ habeat, ut autor eſt Acron. Quã uolunt ab igneo illo præſide mali.) Hoc deliriũ etiã notat in præſcriptionibus. Nemo alterũ, inquit, deũ auſus eſt ſuſpicari (facilius de filio & de patre dubitabatur) donec Marcíõ pręter creatorẽ alium deũ ſolius bonitatis induceret, Apelles creatorẽ angelũ neſcio quẽ glorioſum ſuperioris dei, faceret deum legis & Iſraelis, illum igneum affirmans. Hæc illic. Quandò uerò dicit, præſide mali, id eſt, ſæui dei, uidetur loqui de Apelle & Apellicianis antequã à Marcione ſeparati ſunt. Nam poſt eam diuiſionem, unum tantum deũ aſſeruit Apelles. De ſua paratura,) Paraturam uocat id quod præſtat materiam. Sic in libro de Pallio lanam uocat paraturam materiarum. Tantam igitur paraturã materiarũ, inquit, ingenia quoq; ueſtificinæ proſecuta. Ergo de ſua paratura, hoc eſt, de ſyderibus & cœlo quæ corporis materiam Chriſto ſubminiſtrarint.

Pœnitentiam admiſerit.) Nimirum quòd huius inferioris mundi creatio non tam feliciter perfecteq; ceſſiſſet, quàm illius ſuperioris. Et membra delictum.) Subaudi erũt. Erit proínde & cœlum. Subaudi delictum. Et cœleſtia cum cœlo, delictum erunt. Mauult eſſe breuis & obſcurus quàm perſpicuus.

Etiam ad fabulas Nationum ueritas tranſmiſit.) Significat Promethei fabulam

Iam, qui primus è limo hominem finxerit Iapeti filius. Ouidius libro primo Metamorphoseon.

Sanctius his animal, mentisq; capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset,
Natus homo est. Siue hunc diuino semine fecit
Ille opifex rerum mundi melioris origo,
Siue recens tellus, seductaq; nuper ab alto
Aethere cognati retinebat semina cœli,
Quam satus Iapeto mixtam fluuialibus undis
Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum.

Huc alludit etiam Iuuenalis satyra XIIII. Vnus & alter
Forsitan hæc spernant iuuenes, quibus arte benigna
Et meliore luto finxit præcordia Titan.

Id uero Ethnici sunt à nostris mutuati, uidelicet de libris Mosaicis. Porrò Tertullianus noster libro primo aduersum Marcionem, eleganter deũ creatorem appellat uerum Prometheum. De septentrionibus.) Hoc sydus, quod à figura posituraq; ipsa, quia simile plaustri uidetur, antiqui Græcorum ἅμαξαν dixerunt, nostri quoq; ueteres à bubus iunctis septentriones appellarunt, id est, à septem stellis, ex quibus quasi iuncti triones figurantur. Sunt autem triones rustico uocabulo boues quasi teriones à terenda terra, id est, aranda colendaq;. Ex A. Gellio. 10

Et Vergilijs.) Vergiliæ circa æquinoctium oriuntur, unde nomen habent à uere. Græcis πλειάδες sunt, quod ex compluribus stellis constent. Et Suculis emendatum.) Quæ stellę Græcis ὑάδες, à nobis primo Syades, deinde Suculę sunt dictæ. Autor Gellius. Sunt autem in capite Tauri. Porrò usurpat emendatũ pro perfecto siue illustrato, atq; nitente. Adeo nec humanæ honestatis corpus fuit.) Honestatem hic accipit pro pulchritudine, sicut mox, Contumelię uero inhonestam probauere, id est, deformem. Ita Virgil. Et quocunq; deus circum caput egit honestum. Horatius satyra secunda lib. I. Necq; si quid honesti est, Iactat habetq; palam. Paulo post scripsimus, Item cum præsumant. Et infra, Deus enim, inquit, gestiuit animam uisibilem hominibus exhibere. Hoc autem factum est animale.) Emendauimus, Hoc autem factum est animæ. Ex Gorzienſi collatione. Quod uero mox sequitur, Si in carne conuersam, alienam induit superficiem, intellige Christus induit al. superf. conuersam supple animam in carne, Sic dicimus, Induo te tunicam. Alterius iam notitiæ.) Alterius dixit pro alius, id est, diuersæ. Sic infra. Si in carne meliore, & alterius, id est, non peccatricis natura neuum peccati redemit. Ideo reus enim non erat dei filius.) Castigauimus. Idoneus. Facilius ergo dicã si forte ipsum filiũ angelũ.) Si forte ponere solet pro forte. Paulo post pro Quia aũt, scripsimus, qua aũt spiritus dei. Et mox, pro Non idem & dei filiũ, id est, nõ & dei filiũ. Ex castigationibus Gorzienſib. Plane prophetis aliquo glorioſiorẽ.) Hoc est, in aliquo. Suã fecit.) Addidimus ex Gorzienſi. Suam faciens, non peccatricem eam fecit. Quan quam licuit iam.) Liquuit præteritum usurpat à uerbo liquere, pro claruit. 11 12 13 14

Igitur si primus Adam è terra traditur.) Reposuimus ex Gorzienſi. Adam ita traditur. Et tamen ne mihi uacet.) Scribi debet nę mihi uacet, ut sit affirmantis, hoc modo, Et tamen nę mihi uacet incursus hominis ad eundem Christum (Adam ab apostolo dictus est) si terreni non fuit census homo eius. Næ, id est, certè, profectò. Q.D. Sane uacaret mihi. Sic rursum infra. Næ illa beatissima & glorioſissima, loquitur de carne resurrectura. Vt memoriam mali fratris redderet.) Nisi ironia est, qua subinde Tertullianus utitur, aut legendum, era 15

deret,ut sit metaphora à scriptura quæ proprie eraditur,Aut,perderet.Et præce-
16 dit,deleuit. Cum adulteratores eius obduxero.)Obducere pro conuince-
re,profligare,atq; delere.Paulo post,pro dei spiritus,reposuimus, dei filius.Item
17 propositionis officio,præpositionis. Non quidē apostatæ & hæretici.) No
18 tat psalmos Valentini hæretici, quorum antea meminit. Medici & physi-
ci de liberorum natura.)Scripsimus de uberum natura.Ex Gorziensibus annota-
19 tionibus.Item infra tacebit igitur & Elizabeth. Ex eisdem. Ipse imprimis
Matthæus fidelissimus Euangelij cōmentator, ut comes domini.) Magna laus
20 euangelistæ Matthæi. Alium cæteris passiuum ignobilem.) Passiuum cæ-
teris,hic uocat cōmunem cæteris,hoc est, nō differentem à cæteris,nec eximium
sed uulgarem uilemq;. Sic passiuum dei nomen dicit,& passiuum conuictum ad-
uersus Marcionem lib. 1. pro cōmuni & promiscuo. Item passiuos discipulos ad
uersus Valentinianos, Hoc est incōstantes atq; passim uagos nec uni magistro
addictos.Rursum licentiam passiuam libro priori ad uxorem. Et passiuum cen-
sum in libro de Monogamia.Porrò uidetur hoc uocabulum Aphris fuisse pecu-
liare.Nam quum Decretorum ingens illud uolumen quod Burchardus Vuor-
matiensis antistes congessit ante Gratianum, aliquando euoluerem, repperi il-
lud in tertia constitutione Carthaginensis concilij,quæ sic habet, Martyrum di-
gnitatem nemo prophanus infamet,nec passiua corpora quæ sepulturæ tantum
propter misericordiam ecclesiasticam cōmendari mandatum est,redigant, ut aut
insania præcipitatos,aut alio peccato discretos,non ratione uel tempore compe
tenti quo martyria celebrantur,martyrum nomine appellent. Cæterum eius sy-
nodi constitutiones perscripsisse fertur Aurelius Carthaginensis episcopus.Pas-
siua corpora,uocat,quęlibet. Passiuitatem usurpat Tertullianus plus semel in se-
quentibus opusculis pro libertate in malam partem, qua homo fit inconstans &
nunc ad hoc nunc ad illud uersabilis. Quod & solum discussum sufficere
potuisset, sed citra sing.ex d.o.c.) Quanq; refragētur codices manu descripti, ta
men nos ausi sumus mutare lectionē & scribere expūcta particula sed,Quod &
solum discussum sufficere potuisset citra singularum ex diuerso opinionum con-
gressionem. Manifesto iam.)Subauditur existente, ut Græci ἥλιου ὄντος.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, DE CARNE CHRISTI, LIBER

Saducæorum propinqui



VI FIDEM resurrectionis, ante istos Sadducæorum propinquos sine controuersia moratam,studeant inquie
tare,ut eam spem negent etiā ad carnem pertinere,meri-
to quoq; carnem Christi quæstionibus distrahunt,tan-
quam aut nullam omnino,aut quoquo modo aliā præ-
ter humanam:ne si humanam constiterit fuisse,præiudi
catum sit aduersus illos eam resurgere omni modo,quæ
in Christum resurrexerit. Igitur unde illi destruunt carnis uota, inde nobis
erunt

ferunt præstruenda. Examinemus corporalem substantiam domini: de spiritali enim certum est. Caro quæritur, ueritas & qualitas eius retractantur, an fuerit, & unde, & cuiusmodi fuerit. Renunciatio eius dabit legem nostrę resurrectioni. Marcion ut carnem Christi negaret, negauit etiã natiuitatem: aut ut natiuitatem negaret, negauit & carnem: scilicet ne inuicẽ sibi testimonium redderent, respõderent natiuitas & caro, quia nec natiuitas sine carne, nec caro sine natiuitate: quasi non eadem licentia hæretica & ipse potuisset, aut admissa carne natiuitatem negare, ut Apelles discipulus, & postea defensor ipsius: aut & carnem & natiuitatem confessus, aliter illis interpretari, ut condiscipulus & condefensor eius Valentinus. Sed & qui carnẽ Christi putatiuam introduxit, æque potuit natiuitatis quoq; phantasmata confingere, ut & conceptus, & pręgnatus, & partus uirginis, & ipsius exinde infantis ordo τὸ δοκεῖν haberetur. Eosdẽ oculos, eosdemq; sensus fefellissent, quos carnis opinio inlusit. Planè natiuitas à Gabriele adnunciatur. quid illi cũ angelo creatoris? Et in uirginis uterum cõceptus inducitur. quid illi cum Esaia creatoris? Odit moras, qui subito Christum de cœlis deferebat. Aufer hinc inquit, molestos semper Cæsaris census, & diuersoria angusta, & sordidos pannos, & dura præsepia. Viderit angelica multitudo dominum suum nocti bus honorans. Seruent potius pecora pastores: & magi ne fatigentur de longinquo. dono illis aurum suũ. Melior sit & Herodes, ne Hieremias glorietur. Sed nec circuncidatur infans, ne doleat: nec ad templum deferatur, ne parentes suos oneret sumptu obligationis: nec in manus tradatur Simeoni, ne senem moriturum exinde contristet. Taceat & anus illa, ne fascinet puerum. His opinor cõsilijs tot originalia instrumẽta Christi, delere Marcion ausus est, ne caro eius probaretur. Ex qua, oro te, autoritate? si propheta es, prænuncia aliquid: si Apostolus, prædica publice: si apostolicus, cum apostolis senti: si tantũ Christianus es, crede quod traditum est: si nihil istorum es, merito dixerim morere: nam & mortuus es, qui non es Christianus, non credendo quod traditũ Christianos facit. Et eo magis mortuus es, qui non es Christianus: qui cum fuisses, excidisti, rescindendo quod retro credidisti: sicut & ipse confiteris in quadam epistola, & tui non negant, & nostri probant. Igitur rescindens quod credidisti, iam nõ credens rescidisti: nõ tamen quia credere desisti, recte rescidisti. Atqui rescindendo quod credidisti, probas, antequàm rescinderes aliter fuisse q̃d credidisti aliter. Illud ita erat traditum. Porrò quod traditum erat, id erat uerum, ut ab eis traditum, quorum fuit tradere. Ergo quod erat traditum rescindens, quod erat uerũ rescidisti. Nullo iure fecisti. Sed plenius eiusmodi præscriptionibus aduersus omnes hęreses, alibi iam usi sumus. Post quas nunc ex abundanti retractamus, desiderantes rationem qua non putaueris natum esse Christum. Necesse est quatenus hoc putas arbitrio tuo licuisse, ut aut impossibilem, aut inconue-

Licentia hæretica

Originalia instrumenta

Epistola Marcionis

Librũ de præscriptione hæreticorum ante hũc librum scripsit

nientem deo existimaueris natiuitatẽ. Sed deo nihil impossibile, nisi quod non uult. An ergo uoluerit nasci (quia si uoluit, & natus est) consideremus. Ad compendium decurro. Si enim nasci se deus noluisset, quacunq; de causa, nec hominem se uideri præstitisset. Nam quis hominẽ uidens, eum negaret natum? Itaq; quod noluisset esse, nec uideri omnino uoluisset. Oẽis rei displicentis etiam opinio reprobatur. Quia nihil interest, utrum sit quid, an non sit: si cum non sit, esse præsumitur, Planè interest illud, ut falsum nõ pa-

Conscientia tiatur, quod uere non est. Sed satis erat illi, inquis, conscientia sua. Viderint homines, si natum putabant, quia hominẽ uidebant. Quanto ergo dignius quantoq; constantius humanam sustinuisset existimationem uere natus, eandem existimationem etiam non natus subiturus cum iniuria cõscientiæ suæ, quam tu ad fiduciam reputas, ut non natus aduersus cõscientiam suam

2 natum se existimari sustineret? Quid tanti fuit edoce, cum sciens Christus quid esset, esse se quod non erat exhiberet. Non potes dicere, si natus fuisset, & hominem uere induisset, deus esse desisset, amittens quod erat, dum assumit quod nõ erat. Periculum enim status sui deo nullum est. Sed ideo, inquis, nego deum in hominem uere conuersum, ita ut & nasceretur, & car-

Corporari ne corporaretur: quia, qui sine fine est, etiam inconuertibilis sit, necesse est. Conuerti enim in aliud, finis est pristini. Non competit ergo conuersio, cui non competit finis. Planè natura conuertibilium ea lege est, ne permaneãt in eo quod conuertitur in eis: & ita non permanendo pereant, dum perdunt conuertendo quod fuerũt. sed nihil deo par est, natura eius ab omnium rerum conditione distat. Si ergo à deo distant, à quibus deus distat, cum conuertuntur amittunt quod fuerunt: ubi erit diuersitas diuinitatis à cæteris rebus, nisi ut contrarium obtineat, id est, ut deus & in omnia conuerti possit, & qualis est perseuerare? Alioquin par erit eorum, quæ conuersa amittunt quod fuerunt: quorum utiq; deus in omnibus par nõ est, si nec in exitu conuersionis. Angelos creatoris conuersos in effigiem humanam aliquando legisti, & credidisti, & tantam corporis gestasse ueritatem, ut & pedes eis lauerit Abraham, & manibus ipsorum ereptus sit Sodomitis Loth: conluctatus quoq; homini angelus toto corporis pondere dimitti desiderauerit, adeo detinebatur. Quod ergo angelis inferioribus deo licuit, uti conuersi in

Corpulentia corpulentiam humanam, angeli nihilominus permanerent, hoc tu potentiori deo aufers, quasi non ualuerit Christus uere hominem indutus, deus perseuerare? Aut nunquid & angeli illi phantasma carnis apparuerunt? sed non audebis hoc dicere. Nam si sic apud te angeli creatoris, sicut & Christus: eiusdem substantiæ erit Christus, cuius angeli: angeli tales, qualis & Christus. Si scripturas opinioni tuæ resistentes, non de industria alias reiecisses, alias corrupisses, confudisset te hinc euangeliũ Ioannis, prædicans spiritũ columbæ corpore lapsum desedisse super dominum. Qui spiritus cum

hoc

hoc esset,tam uere erat & columba,quàm & spiritus:nec interfecerat substã tiam propriam,adsumpta substãtia extranea.Sed quæris corpus columbæ ubi sit resumpto spiritu in cœlum. Aeque angelorum,& eadem ratione interceptum est,qua & editum fuerat.Si uidisses cum de nihilo proferebatur, scisses,cum in nihilum subducebatur.Si nõ fuit initium uisibile,nec finis.Tamen corporis soliditas erat,quo momento corpus uidebatur. Non potest non fuisse quod scriptum est.Igitur si neq; ut impossibilem,neq; ut periculosam deo repudias corporationem,supereſt ut quasi indignam reijcias & accuses.Ab ipsa quidem exorsus natiuitate,perora age iam spurcitias genitalium in utero elementorum,humoris & sanguinis fœda coagula, carnis ex eodem cœno alendæ per nouem menses:describe uterum de die insolescentem,grauem,anxium,nexum,totum incertum libidinibus fastidij & gulæ. Inuehere iam & in ipsum mulieris enitentis pudorem, uel pro periculo honorandum,uel pro natura religiosum.Horres utiq; & infantẽ cum suis impedimentis profusum utiq; & oblitum. Dedignaberis quod pannis dirigitur,quod unctionibus formatur,quod blanditijs deridetur. Hãc ueneratiõnem ò Marcion naturæ despuis:& quo modo natus es? odisti nascentẽ hominem:& quo modo diligis aliquem? te quidem planè non amasti, cum ab ecclesia & fide Christi recessisti. Sed uideris si tibi displices, aut si aliter natus.Et certe Christus dilexit hominẽ illũ in immunditijs, in utero coagulatum,illũ per pudenda prolatũ,illum per ludibria nutritũ. Propter eum descendit:propter eum prædicauit:propter eũ omni se humilitate deiecit usq; ad mortem,& mortem crucis:amauit utiq; quem magno redemit. Si Christus creator eius est, suũ merito amauit:si ab alio deo est, magis adamauit, quando alienum redemit. Amauit ergo cum homine etiam natiuitatem, etiã carnem eius. Nihil amari potest sine eo per quod est, id quod est. Aut aufer natiuitatem,& exhibe hominem.Adime carnem,& præsta quẽ deus redemit.Si hæc sunt homo quem deus redemit, tu hæc erubescenda illi facis,quæ redemit & indigna, quæ nisi dilexisset,non redemisset? Natiuitate reformata regeneratione cœlesti,carnem ab omni uexatione restituit:leprosam emaculat,cæcam perluminat, paralyticam redintegrat, dæmoniacam expiat,mortuam resuscitat.& nasci in illam erubescit? Si reuera de lupa, aut sue,aut uacca,prodire uoluisset,& ferę aut pecoris corpore indutus regnum cœlorum prædicaret,tua,opinor,illi censura præscriberet? Turpe hoc deo, & indignũ hoc dei filio,& stultũ propterea qui ita credat.Sit plane stultum, si de nostro sensu iudicemus deum.Sed circumspice Marcion,si tamen non delesti: stulta mundi elegit deus, ut confundat sapientes. Quæ nam hæc stulta sunt? conuersio hominis ad cultum ueri dei,reiectio erroris,disciplina iustitiæ,pudicitiæ,patientiæ,misericordiæ,innocentiæ.omia hæc quidẽ stulta nõ sunt.Quęre ergo de quibus dixerit.Et si te pręsumpseris inuenisse,nõ

Corporatio 3

Genitalia elementa.

Coagula

Impedimenta infantis

O Tertulliane, Qui stat, uideat ne cadat

Doctrina Christi

erit iam ſtultum credere in deum, natum & quidē ex uirgine: & quidem car
Contumeliæ naturæ neum, qui per illas naturæ contumelias uolutatus ſit. Dicat hæc aliquis ſtul
ta non eſſe: & alia ſint, quæ deus in æmulationem elegerit ſapientiæ ſecula-
Iuppiter conuerſus in Tauru, & cygnū ris. Et tamē apud illam facilius creditur, Iuppiter taurus factus, aut cygnus,
quàm uere homo Chriſtus penes Marcionem. Sunt planè & alia tam ſtul
ta, quæ pertinent ad contumelias & paſſiones dei. Aut prudentiam dicam
4 deum crucifixum? Aufer hoc quoq; Marcion, imò hoc potius. Quid enim
indignius deo? quid magis erubeſcendum, naſci, an mori? Carnem geſtare,
Suffigi an crucem? circūcidi an ſuffigi? educari, an ſepeliri? in præſepe deponi, an in
monumentum recondi? Sapientior eris, ſi nec iſta credideris. Sed non eris
ſapiens, niſi ſtultus ſeculo fueris, dei ſtulta credendo. An ideo paſſiones à
Chriſto non reſcidiſti, quia ut phantaſma uacabat ad ſenſum earum. Di-
ximus retro æque illum & natiuitatis & infantiæ imaginarium imaginariæ
Interfector ueritatis uacua ludibria ſubire potuiſſe. Sed iam hic reſponde interfector ueritatis.
Nónne uere crucifixus eſt deus? nónne uere mortuus, & uere crucifixus?
nónne uere reſuſcitatus? Vt uere ſcilicet mortuus. Falſò ſtatuit inter nos ſci-
re Paulus tantum crucifixum: falſò ſepultum ingeſſit, falſò reſuſcitatū incul
cauit. Falſa eſt igitur & fides noſtra, & phantaſma eſt totū quod ſperamus
à Chriſto. Sceleſtiſſime hominū, qui interemptores excuſas dei. Nihil em̄
Vnica ſpes totius orbis ab eis paſſus eſt Chriſtus, ſi nihil uere eſt paſſus. Parce unicæ ſpei totius or
bis, qui deſtruis neceſſarium decus fidei. Quodcunq; deo indignū eſt, mihi
expedit. Saluus ſum, ſi non cōfundar de domino meo. Qui me, inquit, con-
fuſus fuerit, confundar & ego eius. Alias non inuenio materias confuſionis,
Bene impudēs feliciter ſtultus quæ me per contemptū ruboris probent, bene impudentem, & feliciter ſtul
tum: Natus eſt dei filius: nō pudet, quia pudendum eſt. Et mortuus eſt dei
filius: prorſus credibile eſt, quia ineptum eſt. Et ſepultus, reſurrexit: certum
eſt, quia impoſſibile. Sed hæc quomodo in illo uera erunt, ſi ipſe nō fuit ue
rus, ſi non uere habuit in ſe quod figeretur, quod moreretur, quod ſepelire-
tur & reſuſcitaretur? carnem ſcilicet hanc ſanguine ſuffuſam, oſſibus ſubſtru
ctam, neruis intextam, uenis implexam, quæ naſci & mori nouit, humanam
ſine dubio, ut natam de homine? Ideo quia mortalis hęc eſt, in Chriſto ho
mo & filius hominis. Aut cur homo Chriſtus, & filius hominis, ſi nihil ho-
minis & nihil ex homine? niſi ſi aut aliud eſt homo q̄ caro: aut aliunde caro
hominis, q̄ ex homine: aut aliud eſt Maria, quàm homo. Deus Marcio-
nis haud aliter nō diceretur homo Chriſtus ſine carne: nec hominis filius
ſine aliquo parente homine: ſicut nec deus ſine ſpiritu dei, nec dei filius ſine
Cenſus utriuſq; ſubſtātiæ deo patre. Ita utriuſq; ſubſtantiæ cenſus hominem & deum exhibuit: hinc
natum, inde non natum: hinc carneum, inde ſpiritalem: hinc infirmum, inde
præfortem: hinc morientem, inde uiuentem. Quæ proprietas conditionum
5 diuinæ & humanæ, æqua utiq; naturæ ueritate diſpuncta eſt. eadē fide ſpi-

ritus

ritus & caro:uirtutes ſpiritum dei,paſſiones carnem hominis probauerunt. Si uirtutes non ſine ſpiritu,proinde & paſſiones non ſine carne.Si caro cum paſſionibus ficta,& ſpiritus ergo cũ uirtutibus falſus. Quid dimidias mendacio Chriſtum? totus ueritas fuit.Maluit,crede,naſci, quàm ex aliqua parte mentiri,& quidem in ſemetipſum:ut carnẽ geſtaret, ſine oſſibus duram, ſine muſculis ſolidam,ſine ſanguine cruentam,ſine tunica ueſtitam, ſine fame eſurientem,ſine dentibus edentẽ, ſine lingua loquentem:ut phantaſma auribus fuerit ſermo eius per imaginem uocis. Fuit itaq; phantaſma etiam poſt reſurrectionem,cum manus & pedes ſuos, diſcipulis inſpiciendos offert:aſpicite,dicens,quod ego ſum:quia ſpiritus oſſa non habet, ſicut me habentem uidetis:ſine dubio manus & pedes & oſſa,quæ ſpiritus non habet, ſed caro.Quomodo hanc uocem interpretaris Marcion:qui à deo optimo, & ſimplici,& bono tantum, infers Ieſum? Ecce fallit & decipit,& circunuenit omnium oculos,omnium ſenſus,omnium acceſſus, & contactus. Ergo iam Chriſtum non de cœlo deferre debueras, ſed de aliquo circulatorio cœtu: nec deum præter hominem,ſed magum hominem: nec ſalutis pontificem, ſed ſpectaculi artificem:nec mortuorũ ſuſcitatorem, ſed uiuorum auocatorem.Niſi quod & ſi magus fuit,natus eſt. Sed quid iam diſcentes Pontici illius,ſupra magiſtrum ſapere compulſi, cõcedunt Chriſto carnis ueritatem, ſine præiudicio tamen renuendæ natiuitatis. Habuerit, inquiunt, carnem, dum omnino non natam paruimus.Igitur de calcaria(quod dici ſolet)in carbonariam à Marcione ad Apellen, qui poſteaquàm à diſciplina Marcionis in mulierem carne lapſus,& de hinc in uirgine Philumene ſpiritu euerſus eſt, ſolidum Chriſti corpus & ſine natiuitate ſuſcepit ab ea: prædicans ut angelus quidem illi Philumenes. Eadem uoce Apoſtolus reſpondebit: qua ipſum illum iam tunc præcinebat, dicens:Etiam ſi angelus de cœlis aliter euangelizauerit uobis,quàm nos euãgelizauimus,anathema ſit.His uero qui inſuper argumentantur,nos reſiſtemus. Confitentur uere corpus habuiſſe Chriſtum. Vnde materia,ſi nõ ex ea qualitate,in qua uidebatur? Vnde corpus,ſi non caro corpus? Vnde caro,ſi non nata? quia naſci haberet ea futura quæ naſcitur. De ſyderibus, inquiunt, & de ſubſtantijs ſuperioris mundi mutuatus eſt carnem. Et utiq; proponunt non eſſe mirandum corpus ſine natiuitate,cum & apud nos angelis licuerit,nulla uteri opera in carnem proceſſiſſe.Agnoſcimus quidem ita relatum,ſed tamen quale eſt ut alterius regulæ fides, ab ea fide quam impugnat,inſtrumentum argumentationibus ſuis mutuetur? Quid illi cum Moyſe,qui deum Moyſi reijcit? Si alius deus eſt,aliter ſint res eius.Sed utantur hæretici omnes ſcripturis eius, cuius utuntur etiã mundo.Erit illis hoc quoq; in teſtimonium iudicij, quod de exemplis ipſius blaſphemias ſuas inſtruunt.Facile ueritati etiam nihil tale aduerſus eos præſcribenti obtinere. Igitur qui carnem Chriſti ad exem-

Circulatorius cœtus.

Prouerb. De calcaria in carbonariam

plum

plum proponunt angelorum,non natam dicentes ſcilicet carneam,compa/
rent uelim & cauſas tam Chriſti, quàm & angelorum, ob quas in carnem
aliàs uenerũt proceſſerunt. Nullus unquam angelus ideo deſcendit ut crucifigeretur, ut
mortem experiretur,ut à morte reſuſcitaretur. Si nunquã eiuſmodi fuit cau
Corporandus ſa angelorum corporandorum,habes cauſam cur non naſcendo acceperint
carnem.Non uenerant mori,ideo nec naſci.At uero Chriſtus mori miſſus,
naſci quoq; neceſſario habuit,ut mori poſſet.Non em̃ mori ſolet,niſi quod
naſcitur.Mutuum debitum eſt inter ſe,natiuitati cũ mortalitate. Forma mo
riendi,cauſa naſcẽdi eſt.Si propter id quod moritur mortuus eſt Chriſtus,
id autem moritur quod & naſcitur, conſequens item erat, imò præcedens,
ut æque naſceretur ppter id quod naſcitur(quia propter idipſum mori ha/
bebat)quod,quia id quod naſcitur,moritur non competebat non naſci,pro
quo mori competebat. Atqui tunc quoq; inter illos angelos ipſe dominus
apparuit Abrahæ ſine natiuitate,cum carne ſcilicet,pro eadem cauſæ diuer
ſitate. Sed uos hoc non recipitis,non eum Chriſtũ recipientes qui iam tũc
& adloqui,& liberare,& iudicare humanum genus ediſcebat in carnis habi/
tu non natæ adhuc,quia nondum morituræ, niſi prius & natiuitas eius &
mortalitas adnunciarentur.Igitur probent angelos illos de ſyderibus acce/
piſſe ſubſtantiam carnis.ſi non probant, quia nec ſcriptum eſt,nec Chriſti
caro inde erit,cui angelorum accommodant exemplum. Conſtat angelos
carnem non propriam geſtaſſe,utputa natura ſubſtantiæ ſpiritalis: & ſi cor
poris alicuius,ſui tamen generis: in carnem autem humanam transfigurabi
les ad tempus,ut uideri & congredi cum hominibus poſſent. Igitur cum re/
latum non ſit,unde ſumpſerint carnem,relinquitur intellectui noſtro nõ du
bitare,hoc eſſe proprium angelicæ poteſtatis ex nulla materia corpus ſibi
ſumere.quanto magis(inquis) ex aliqua certum eſt.ſed nihil de eo conſtat,
quia ſcriptura non exhibet. Cęterum qui ualent facere ſemetipſos quod na
tura non ſunt,cur non ualeant & ex nulla ſubſtantiam facere? ſi fiunt quod
non ſunt,cur non ex eo fiant quod non eſt? Quod autem non eſt, cum fit,
Quid poſtea factum ſit cor poribus illo/ rum. Elegan/ tiſſima locu- tio ex nihilo eſt.Propterea nec requiritur,nec oſtenditur, quid poſtea factum
ſit corporibus illorum. Quod de nihilo fuit,nihil factum eſt. Poſſunt nihil
ipſum conuertere in carnem,qui ſemetipſos potuerunt cõuertere in carnẽ.
Plus eſt naturã demutare,quàm facere materiam.Sed ſi de materia neceſſe
fuiſſet angelos ſumpſiſſe carnẽ, credibilius utiq; eſt de terrena materia, q̃p
de ullo genere cœleſtium ſubſtantiarum:cum adeo terrenæ qualitatis exti/
Leg. Nunc ſit terit,ut terrenis pabulis paſta ſit. Nunc ſic quoq; ſyderea,eodem modo ter
renis pabulis paſta,quando terrena non eſſet,quo terrena cœleſtibus paſta
eſt,quando cœleſtis non eſſet(legimus enim manna eſui populo fuiſſe.Pa/
nem,inquit, angelorum edit homo)non tamen infringitur ſemel ſeparata
conditio dominicæ carnis,ex cauſa alterius diſpoſitionis. Homo uere futu/

rus

rus usq; ad mortem,eam carnem oportebat,indueret,cuius est mors. Eam porrò carnem,cuius est mors,natiuitas antecedit. Sed quotiens de natiuitate contenditur,omnes qui respuunt eã ut præiudicantẽ de carnis in Christo ueritate,ipsum deum uolunt negare esse natum,quod dixerit: Quæ mihi mater,& qui mihi fratres? Audiat igitur & Apelles quid iam responsum sit à nobis Marcioni,eo libello,quo euangelium ipsius prouocauimus:considerandam scilicet materiã pronunciationis istius. Primo quidẽ nunquam quisquam adnunciasset illi matrem & fratres eius foris stare, qui nõ certus esset habere illũ matrem & fratres,& ipsos esse quos tunc nunciabat, uel retro cognitos,uel tunc ibidem cõpertos. Licet propterea abstulerint hæreses ista de euangelio,quod & creditum patrem eius Ioseph fabrum,& matrem Mariã,& fratres,& sorores eius optime notos sibi esse dicebãt,qui mirabantur doctrinam eius.Sed tentandi gratia nunciauerant ei matrem & fratres, quos nõ habebat. Hoc quidem scriptura non dicit,aliàs non tacens,cũ quid tentationis gratia factum est circa eũ:Ecce,inquit,surrexit legis doctor, tentans eum. Et alibi:Et accesserũt ad eũ pharisæi,tentantes. Quod nemo prohibebat hic quoq; significari tentandi gratia factũ. Nõ recipio,quod extra scripturã de tuo infers. De hinc materia tentationis debet subesse,quid tentandum putauerunt in illo,utiq; natús ne esset,an non? Si enim hoc negauit responsio eius,hoc captauit nunciatio tentatoris. Sed nulla tentatio tendens ad agnitionem eius,de quo dubitãdo tentat,ita subito procedit, ut nõ ante præcedat quæstio,quæ dubitationẽ inferens cogat tentationem. Porrò si nusquã de natiuitate Christi uolutatũ est,quid tu argumentaris uoluisse illos per tentationẽ scisciari,quod nunquã produxerunt in quæstionẽ? Eò adijcimus,etiam si tentandus esset de natiuitate,non utiq; hoc modo tentaretur,earũ personarum adnunciatione,quæ poterant etiã nato Christo nõ fuisse. Omnes nascimur,& tamen non omnes aut fratres habemus aut matrem. Adhuc potest & patrem magis habere quàm matrem, & auunculos magis quàm fratres:adeo nõ competit tentatio natiuitatis, quam licebat & sine matris,& sine fratrũ nominatione constare.Facilius planè est,ut certi illum & matrem & fratres habere,diuinitatem potius tentauerint eius quàm natiuitatem,an intus agens,sciret quid foris esset,mendacio potius præsentiæ eorum,qui in præsenti non erant:nisi quod & si uacuisset tentationis ingeniũ, poterat euenire ut quos illi nunciabant foris stare,ille eos sciret absentes esse,uel ualetudinis,uel negocij,uel peregrinationis nota iam necessitate. Nemo tentat eo modo,quo posse se sciat ruborẽ tentationis referre. Nulla igitur materia tentationis cõpetente,liberatur simplicitas nunciatoris,quod uerè mater & fratres eius superuenissent.Sed quæ ratio respõsi matrẽ & fratres ad p̃sens negantis,discat etiã Apelles. Fratres domini nõ crediderũt in illũ:sicut & in euangelio ante Marcionẽ ędito cõtinetur. Mater ęque nõ demonstra-

Signat librum cõtra Marcionem quartũ, ut puto.

Quæstio orta ex dubitatiõe præcedit tentationem

UNIVERSIDAD DE MURCIA

monſtratur adhæſiſſe illi,cum Marthæ & Mariæ aliæ in commercio eius frequententur. Hoc deniq; in loco apparet incredulitas eorum. cũ is docerẽt uiam uitæ,cum dei regnum prædicaret,cum languoribus & uitijs medendis operaretur,extraneis defixis in illum,tam proximi aberant. Deniq; ſuperueniunt,& foris ſubſiſtunt,nec introëunt:non computantes,ſcilicet quid intus ageretur:nec ſuſtinent ſaltem, quaſi neceſſarius aliquid adferrent eo quod ille tum maxime agebat:ſed amplius interpellant,& à tanto opere reuocatum uolunt. Oro te Apelles,uel tu Marcion,ſi forte tabula ludens, uel de hiſtrionibus,aut aurigis contendens,tali nuncio auocareris,nónne dixiſſes,quæ mihi mater,aut qui fratres? Deum prædicãs & probans Chriſtus, legem & prophetas adimplens,tanti retro æui caliginem diſpargens, indigne uſus eſt hoc dicto ad percutiendam incredulitatem foris ſtantium, uel ad excutiendam importunitatem ab opere reuocantium? Cæterum ad negandam natiuitatem,alius neceſſarius fuiſſet ei locus,& tempus,& ordo ſermonis:non eius qui poſſit pronunciari etiam ab eo,cui & mater eſſet & fratres,cum indignatio parentes non neget,ſed obiurget. Deniq; potiores fecit alios:& meritum prælationis oſtendens, audientiam ſcilicet uerbi, demonſtrat qua conditione negauerit matrem & fratres. Qua enim alios ſibi adoptauit, qui ei adhærebant:ea abnegauit illos, qui ab eo abſiſtebant. Solet etiam adimplere Chriſtus quod alios docet. Quale ergo erat,ſi docens nõ tanti facere matrem aut fratres,quanti dei uerbum,ipſe dei uerbum nuncia ta matre & fraternitate deſereret? Negauit itaq; parentes,quomodo docuit negandos pro dei opere. Sed aliàs figura eſt ſynagogæ in matre abiuncta, & Iudæorum in fratribus incredulis. Foris erat in illis Iſrael: diſcipuli autem noui intus audientes,& credentes,& cohærentes Chriſto,eccleſiam delinia bant:quam potiorem matrem,& digniorem fraternitatem, recuſato carnali genere nuncupat. Eodem ſenſu deniq; & illi exclamationi reſpondit, non matris uterum & ubera negans,ſed feliciores deſignans,qui uerbum dei audiunt. Solis iſtis capitulis, quibus maxime inſtructi uidentur ſibi Marcion & Apelles,ſecundum ueritatem integri & incorrupti euãgelij interpretatis, ſatis eſſe debuerat,ad probationem carnis humanæ in Chriſto, per defenſionem natiuitatis. Sed quoniã & iſti Apellaciani carnis ignominiam prætendunt maximè, quam uolunt ab igneo illo præſide mali ſolicitatis animabus adſtructam,& idcirco indignam Chriſto,& idcirco de ſyderibus illi ſubſtantiam competiſſe,debeo illos de ſua paratura repercutere. Angelũ quendam inclytum nominant,qui mundum hũc inſtituerit, & inſtituto eo pœnitentiam admiſerit. Et hoc ſuo loco tractauimus,nam eſt nobis aduerſus illos libellus, an qui ſpiritum & uoluntatem & uirtutem Chriſti habuerit ad ea opera,dignum aliquid pœnitentia fecerit,cum angelum etiã de figura erraticæ ouis interpretentur. Teſte igitur pœnitẽtia inſtitutoris ſui delictum

Languoribus & uitijs medendis operaretur.

Neceſſarius cõparatiuum eſt.

Tabula ludere.

Hiſtriones.

Aurigæ

Audientia uerbi

Figura

Libellus Tertulliani aduerſus Apellitas.

Ouis erratica

UNIVERSIDAD DE MURCIA

lictum erit mundus: siquidem omnis pœnitentia confessio est delicti, quia locum nō habet nisi in delicto. Si mundus delictū est, quia corpus: & membra, delictum: erit proinde & cœlū, & cœlestia cum cœlo. Si cœlestia, & quicquid inde conceptum prolatumq; est: mala arbor malos fructus ædat, necesse est. Caro igitur Christi de cœlestibus structa, de peccatis constitit elementis, peccatrix de peccatorio censu: & par erit eius substantiæ, id est nostræ, quam ut peccatricem Christus dedignatur induere. Ita si nihil de ignominia interest, aut aliam purioris notæ materiam excogitent Christo, quibus displicet nostra: aut eam cognoscant, qua etiam cœlestis melior esse nō potuit. Legimus planè, primus homo de terræ limo, secundus homo de cœlo. Non tamen ad materiæ differentiam spectat: sed tantum terrenæ retro substantiæ carnis, primi hominis, id est Adæ, cœlestem de spiritu substantiam opponit, secundi hominis, id est Christi. Et adeo ad spiritum, non ad carnem cœlestem hominem refert: ut quos sic comparat, constet in hac carne terrena, cœlestes fieri, spiritu scilicet. Quod si secundum carnem quoque cœlestis Christus, non compararentur illi non secundum carnem cœlestes. Si ergo fiunt cœlestes qualis est Christus, terrenam carnis substantiam gestant. Hic quoq; confirmatur ipsum etiam Christum in carne terrena fuisse cœlestem, sicut sunt qui ei adæquantur. Prætendimus adhuc, nihil quod ex alio acceptum sit, ut aliud sit, quàm id de quo sit acceptum: ita in totū aliud est, cui non suggerat unde sit acceptum. Omnis materia sine testimonio originis suæ non est, & si demutetur in nouam proprietatem. Ipsum certe corpus hoc nostrum quod de limo figulatum, etiā ad fabulas Nationum ueritas transmisit, utrunq; originis elementum confitetur. Carne terrenam, sanguine aquanam: licet alia sit facies qualitatis. Hoc est quod ex alio aliud fit. Cæterum quid est sanguis quàm rubens humor? quid caro quàm terra conuersa in figuras suas? Considera singulas qualitates, musculos ut glebas, ossa ut saxa, etiam circum papillas calculos quosdam. Aspice neruorum tenaces connexus, ut traduces radicum: & uenarum ramosos discursus, ut amba ges riuorum. Et lanugines ut muscos, & comam ut cespitem, & ipsos medullarum in abdito thesauros, ut metalla carnis. Hæc omnia terrenę originis signa & in Christo fuerunt: hæc sunt quæ illum dei filium cœlauere, nō aliàs tantummodo hominem existimatùm, quàm ex humani substantia corporis. Aut ædite aliquid in illo cœleste de septentrionibus & Vergilijs & Suculis emendicatum. Nam quæ enumerauimus, adeo terrenæ testimonia carnis sunt, ut & nostræ. Sed nihil nouum, nihil peregrinum deprehendo. Deniq; uerbis tantummodo & factis, doctrina & uirtute sola Christi, homines obstupescebant. Notaretur etiam carnis in illo nouitas miraculo habita. Sed carnis terrenæ non mira conditio, ipsa erat quæ cætera eius miranda faciebat, cum dicerent: Vnde huic doctrina & signa ista? etiam despicien

Peccatorius census

De limo figulatum

Sanguis
Caro
Musculi
Ossa
Nerui
Venæ
Lanugines
Coma
Medullæ

c tium

tium formam eius,hęc erat uox.Adeo nec humanæ honestatis corpus fuit, nedum cœlestis claritatis.Tacentibus apud nos quoq; prophetis de ignobili aspectu eius,ipsæ passiones,ipsæq; cõtumelię loquuntur.Passiones quidem humanam carnem,contumeliæ uero inhonestam probauere. An aus esset aliquis ungue summo perstringere corpus nouum,ullam sputaminibus contaminare faciem nisi merentẽ? Quid dicis cœlestem carnem, quã unde cœlestem intelligas,non habes? Quid terrenam negas, quã unde terrenam agnoscas,habes? Esurijt sub diabolo,sitijt sub Samaritide,lachrymatur super Lazarum,trepidat ad mortẽ.Caro enim,inquit,infirma. Sanguinem fudit postremo Hæc sunt,opinor,signa cœlestia. Sed quomodo, inquam, contemni & pati posset, sicut & dixi,si quid in illa carne cœlesti generositate radiasset. Ex hoc ergo conuincimus nihil in illa de cœlis fuisse, propterea ut contemni & pati posset. Conuertor ad illos æque sibi prudentes,qui carnem Christi animalem affirmãt,quod anima caro sit facta, ergo & caro anima.Et sicut caro animalis,ita & anima carnalis. Et hic itaq; causas requiro.Si ut animam saluam faceret in semetipso suscepit animam Christus,qũia salua non esset nisi per ipsum,dũ in ipso,non uideo cur eam carnem fecerit animalem,inducndo carnem,quasi aliter animam saluam facere non posset,nisi carneam factam. Cum enim nostras animas non tantum non carneas,sed etiam in carne disiunctas,saluas præstet: quanto magis illam,quam ipse suscepit,etiam nõ carneam redigere potuit in salutem? Item cum præsumant non carnis,sed animæ nostræ solius liberandæ causa processisse Christum:primo quàm absurdum est,ut animam solam liberaturus, id genus corporis eam fecerit, quod non erat liberaturus. Deinde si animas nostras per illam quam gestauit liberare susceperat, illam quoque quàm gestauit,nostram gestasse debuerat:id est,nostrę formæ, cuiuscunq; formæ est in occulto anima nostra,non tamen carneæ. Cæterum non nostram animam liberauit,si carneam habuit:nostra enim carnea nõ est. Porrõ si non nostram liberauit,nihil ad nos:quia carnea non est, quia non nostram liberauit. Sed nec liberanda erat,quæ non erat nostra, ut scilicet carnea:non enim periclitabatur,si non erat nostra:id est,non carnea.Sed liberatam constat illam.Ergo non fuit carnea,& fuit nostra, si ea fuit quæ liberaretur,quoniam periclitabatur. Iam ergo si anima nõ fuit carnalis in Christo,nec caro potest animalis fuisse.Sed aliam argumentationem eorum cõ uenimus,exigentes cur animalem carnem subeundo Christus,animam carnalem uideatur habuisse.Deus enim,inquit,gestiuit animam uisibilem hominibus exhibere,faciendo eam corpus,quæ retro inuisibilis extiterit,natura nihil,nec semetipsam uidens,præ impedimento carnis huius, ut etiam discerneretur,nata est anima an non? Itaq; animam corpus effectam in Christo,ut eam & nascentem & morientem,& quod sit amplius,resurgentem uideremus

Vnguesummo perstringere

ἐρωνικῶς

Caro animalis

deremus. Ex hoc autem quale erit, ut per carnem demonstraretur anima sibi aut nobis, quæ per carnem non poterat agnosci, ut sic ostenderetur, dum id fit cui latebat, id est, caro? tenebras uidelicet accepit, ut lucere possit. Denique ad hoc prius retractemus, an isto modo ostẽdenda fuerit anima, an in totum inuisibilem eam retro allegent, utrum quasi incorporalem: an etiam habentem aliquod genus corporis proprij? & tamen cũ inuisibilem dicant, corporalem eam constituunt, habentem quod inuisibile sit. Nihil enim habens inuisibile, quomodo potest inuisibilis dici? sed ne esse quidem potest nisi habens per quod sit. Cum autẽ sit, habeat necesse est aliquid, per quod est. Si aliquid per quod est, hoc erit corpus eius. Oẽ quod est, corpus est sui generis: nihil est incorporale. nihil quod non est. Habente igitur anima inuisibile corpus, qui uisibilem eam facere susceperat, utiq; dignius id eius uisibile fecisset, quod inuisibile habebatur. Quia nec hic mendacium, aut infirmitas deo competit. Mendacium, si aliud animã quàm quod erat demonstrauit. Infirmitas, si id quod erat demonstrare non ualuit. Nemo ostendere uolens hominem, cassidem aut personam ei inducit. Hoc autem factum est animæ, si in carne conuersam, alienam induit superficiem. Sed & si incorporalis anima deputetur, ut aliqua ui rationis occulta sit quidem anima, corpus tamen non sit, quicquid est anima: Proinde impossibile deo non erat, & proposito eius congruentius cõpetebat, noua aliqua corporis specie eam demonstrare, quàm ista communi omniũ, alterius iam noticiæ, ne sine causa uisibilem ex inuisibili facere gestisset animam, istis scilicet quæstionibus opportunam, per carnis humanæ defensionem. Sed non poterat Christus inter homines, nisi homo uideri. Redde igitur Christo fidẽ suam: ut qui homo uoluerit incedere, animam quoq; humanæ conditionis ostenderit: non faciens eam carneam, sed induens eam carne. Ostensa sit nũc anima per carnem, si constiterit illam ostendendam quo modo fuisse: id est, incognitam sibi & nobis. Quanquam in hoc uana distinctio est, quasi nos seorsum ab anima simus, cum totum quod sumus anima sit. Deniq; sine anima nihil sumus: ne hominis quidẽ, sed cadaueris nomen. Si ergo ignoramus animam, ipsa se ignorat. Ita superest hoc solum modo inspicere, an se anima ignorarit, ut nota quo modo fieret. Opinor sensualis est animæ natura. Adeo nihil animale sine sensu, nihil sensuale sine anima. Et ut impressius dixerim, animæ anima sensus est. Igitur cum omnibus anima sentire præstet, & ipsa sentiat omnium etiam sensus, nedum qualitates, qui uerisimile est, ut ipsa sensum sui ab initio sortita non sit? Vnde illi scire quod interdum sibi sit necessarium, ex naturalium necessitate, si non scit suam qualitatem, cui quid necessarium est? Hoc quidem in omni anima recognoscere est, noticiam sui dico, sine qua noticia sui nulla anima se ministrare potuisset. Puto autẽ magis hominem, animal solũ rationale, computes & animam esse sortitum,

11 *Cassidem aut personam alicui inducere. Oppositum illi quod est, Detrahere personam*

quæ illum facit animal rationale, ipſa in primis rationalis quæ efficit homi-
ἀγνοικῶς nem rationale animal, ſi ipſa rationem ſuã neſcit, ignorans ſemetipſam. Sed adeo non ignorat, ut autorem & arbitrum & ſtatum ſuum norit. Nihil adhuc de deo diſcens, deum nominat. Nihil adhuc de iudicio eius admittens, deo commendare ſe dicit. Nihil magis audiens, quàm ſpem nullam eſſe poſt mortem, & bene & male defuncto cuiq; imprecatur. Plenius hæc pro-
Libellus de teſtimonio animæ ſequitur libellus, quem ſcripſimus de teſtimonio animæ. Alioquin ſi anima ſemetipſam ignorans erat ab initio, nihil à Chriſto cognouiſſe debuerat, niſi qualis eſſet. Nunc autem non effigiem ſuam didicit à Chriſto, ſed ſalutem. Propterea filius dei deſcendit, & animam ſubĩt: non ut ipſa ſe anima cognoſceret in Chriſto, ſed ut Chriſtum in ſemetipſa. Non enim ſe ignorando de ſalute periclitatur, ſed dei uerbũ. Vita, inquit, manifeſtata eſt, nõ anima. Et ueni, inquit, animam ſaluam facere. Non dixit, oſtendere. Ignoraba-
ἀγνοικῶς mus nimirum animam, licet inuiſibilem, naſci & mori, niſi corporaliter exhiberetur. Ignorauimus planè reſurrecturam cum carne: hoc erit quod Chriſtus manifeſtauit. Sed & hoc non aliter in ſe, quàm in Lazaro aliquo, cuius caro non erat animalis, ita nec anima carnalis. Quid ergo amplius innotuit nobis, de animæ ignorãtiq; retro diſpoſitione? quid inuiſibile eius fuit, quod uiſibilitatem per carnem deſideraret? Caro facta eſt anima, ut anima oſtenderetur. Nunquid ergo & caro anima facta eſt, ut caro manifeſtaretur? Si caro anima eſt, iam non anima eſt, ſed caro. Si anima caro eſt, iam non caro eſt, ſed anima. Vbi ergo caro, & ubi anima eſt, alterutrum facta eſt. Imò ſi neutrum ſunt, dum alterutrum alterum fiunt, certe peruerſiſſimũ, ut carnem nominantes, animam intelligamus: & animam ſignificantes carnem interpretemur. Omnia periclitabuntur aliter accipi quàm ſunt, & amittere quod ſunt, dum aliter accipiuntur, ſi aliter quàm ſunt, cognominantur. Fides nominum, ſalus eſt proprietatum. Etiam cum demutantur qualitates, accipiũt uocabulorum poſſeſſiones. Verbi gratia: Argilla excocta, teſtę uocabulum ſuſcipit. Nec communicat uocabulo priſtini generis, quia nec cum ipſo genere. Proinde & anima Chriſti caro facta, non poteſt non id eſſe quod facta eſt, & id nõ eſſe quod fuerit, aliud ſcilicet facta. Et quoniam proximum adhibuimus exemplũ, plenius eo utemur. Certe enim teſta ex argilla unũ eſt corpus, uunmq; uocabulum unius ſcilicet corporis. Nec poteſt dici & argilla: quia quod fuit, non eſt, non adhæret. Ergo & anima caro facta uniformis, ſolidata: ſed ſingularitas tuta eſt, & indiſcreta ſubſtantia. In Chriſto uero inuenimus animam, & carnem ſimplicibus & nudis uocabulis æditas, id eſt animam animam, & carnem carnem: nuſquam animam carnem, aut carnem animam: quando ita nominari debuiſſent, ſi ita fuiſſent. Sed etiam ſibi quamq; ſubſtantiam diuiſe pronunciata ſub ipſo, utiq; pro duarum qualitatum diſtinctione ſeorſum animam, & ſeorſum carnem: Quid anxia eſt,

inquit

inquit,anima mea usq; ad mortem: &, Panis quem ego dedero pro salute mundi,caro mea est.Porrò si anima caro fuisset,unum esset in Christo carnea anima,aut caro animalis.At cum diuidit species,carnem & animã, duo ostendit.Si duo,iam non unũ:si non unum,iam nec anima carnalis, nec caro animalis.Vnũ enim est anima caro,aut caro anima. Nisi & seorsum aliã gestabat animam,præter eam quæ caro erat:& aliam circũferebat carnem, præter illam quę anima erat.Quod si una caro,& una anima,illa tristis usq; ad mortem,& illa panis pro mundi salute,saluus est numerus duarum substantiarum,in suo genere distantium,excludens carneæ animæ unicam speciem.Sed angelum,aiunt,gestauit Christus.Qua ratione?qua & hominẽ. Eadem ergo est & causa,ut hominem gestaret.Christus salus hominis fuit, causa scilicet ad restituendum quod perierat.Homo perierat, hominem restitui oportuerat. Vt angelũ gestaret Christus,nihil tale de causa est.Nam & si angelis perditio reputatur,in ignem præparatũ diabolo & angelis eius, nunquam tamen illis restitutio repromissa est.Nullum mandatum de salute angelorum suscepit Christus à patre. Quod pater neq; repromisit,neq; mandauit,Christus administrare non potuit. Cui igitur rei angelum quoque gestauit,nisi ut satellitem fortem, cũ quo salutem hominis operaretur. idoneus enim non erat dei filius,qui solus hominem liberaret, à solo & sin- 12
gulari serpente deiectum. Ergo iam non unus deus, nec unus salutificator, *Salutificator*
si duo salutis artifices,& utiq; alter altero indigens.An uero ut per angelum liberaret hominem?cur ergo descendit ad id quod per angelum erat expediturus?Si per angelum, quid & ipse?Si per se,quid & angelus?Dictus est quidem magni consilij angelus,id est nuncius:officij, nõ naturæ uocabulo. *Magni consilij angelus*
Magnum enim cogitatum patris,super hominis scilicet restitutione,adnunciaturus seculo erat. Non ideo tamen sic angelus intelligendus, ut Gabriel aut Michael.Nam & filius à domino uineæ mittitur ad cultores, sicut & famuli,de fructibus petitum. Sed non propterea unus ex famulis deputabitur filius,quia famulorũ successit officio. Facilius ergo dicam, si forte ipsum filium angelum,id est nuncium patris,quàm angelum in filio. Sed cum de filio ipso sit pronunciatum,minuisti eum modico quid citra angelos, quomodo uidebitur angelum induisse,sic infra angelos diminutus,dum homo fit,quâ caro & anima & filius hominis? quâ aũt spiritus dei & uirtus altissimi, nõ potest infra angelos haberi, deus scilicet & dei filius.quãto ergo dũ hominẽ gestat minor angelis factus est,† quanto dum angelũ gestat.Potest hæc opinio Ebioni conuenire,qui nudum hominem & tantum ex semine Dauid,id est non & dei filium,constituit Iesum:planè prophetis aliquo glorioſiorem,ut ita in illo angelum fuisse dicat, quemadmodum in aliquo 13
Zacharia,nisi quod Christo nunquam est dictum:& ait mihi angelus, qui *Ebion*
in me loquebatur.Sed nec quotidianum illud omnium prophetarum:Hæc

Forte, tanto. nisi interroga tiue uelis legere

dicit dominus, Ipse em̃ erat dominus coràm ex sua autoritate pronuncians: Ego aũt dico uobis. Quid ultra ad hæc Esaiam exclamantẽ audi. Non angelus neq; legatus, sed ipse dominus saluos eos fecit. Licuit & Valentino ex priuilegio hæretico carnẽ Christi spiritalem comminisci. Quiduis eam fingere potuit, quisquis humanã credere noluit. Quando quod ad omnes dictum est: si humana nõ fuit, nec ex homine, nõ uideo ex qua substantia ipse Christus hominẽ & filium hominis pronunciarit: Nunc aũt uultis occidere hominem, ueritatẽ ad uos locutum: Et, dominus est sabbati filius hominis. De ipso enim Esaias: Homo in plaga, & sciens ferre imbecillitatẽ. Et Hieremias: Et homo est, & quis cognouit illũ? Et Daniel: Et super nubes tanquã filius hominis. Etiam Paulus apostolus: Mediator dei & hominum, homo CHRISTVS IESVS. Item Petrus in actis apostolorũ: Iesum Nazarenũ uirum uobis à deo destinatũ, utiq; hominẽ. Hæc sola sufficere uice præscriptionis debuerunt ad testimoniũ carnis humanæ & ex homine sumptæ, & non spiritalis, sicut nec animalis, nec sydereæ, nec imaginariæ, si sine studio & artificio cõtentionis hæreses esse potuissent. Nam ut penes quendam ex Valentini ratione legi, primo nõ putant terrenã Christo substantiã informatam: ne deterior angelis dominus deprehendatur, qui nõ terrenæ carnis extiterit. Dehinc quod oporteret similem nostri carnẽ similiter nasci, nõ de spiritu, nec de deo, sed ex uiri uoluntate. Et cur non de corruptela, sed de incorruptela? Et quare nõ, sicut & illa resurrexit, & in cœlo resumpta est, ita & nostra par eius statim adsumitur, aut cur illa par nostræ nõ æque in terram dissoluta est? Talia ethnici uolutabant: Ergo dei filius in tantum humilitatis exhaustus, & si resurrexit in exemplũ spei nostræ, cur nihil tale de nobis probatum est? Merito ethnici talia, sed merito & hæretici. Num quid enim inter illos distat? nisi quod ethnici nõ credendo credunt. At hæretici credendo nõ credunt. Legunt deniq; Minoracti eum modico citra angelos, & negant inferiorem substantiam Christi, nec hominem se, sed uermẽ pronunciantis, qui nec formã habuit, nec speciẽ, sed forma eius ignobilis despecta, citra omnes homines. Homo in plaga, & sciens ferre imbecillitatem. Agnoscunt hominem deo mixtum, & negant hominem. Mortuum credunt, & quod est mortuum ex incorruptela natum esse cõtendunt, quasi corruptela aliud sit à morte. Sed & nostra caro statim resurgere debebat. Expecta, nondum inimicos suos Christus oppressit, ut cum amicis de inimicis triumphet. Insuper argumentandi libidine ex forma ingenij hæretici, locum sibi fecit Alexander ille, quasi nos adfirmemus, Christum terreni census induisse carnem, ut euacuaret in semetipso carnem peccati. Quod & si diceremus, quacunq; ratione, muniremus sententiam nostram, dum ne tanta amentia qua putauit, tanquàm ipsam carnem Christi opinemur ut peccatricem, euacuatam in ipso, cum illam & ad dexteram patris in cœlis præsidere meminerimus

Valentinus
Priuilegiũ hæreticũ
Pro ipse, legerim, se Christus
Acta apostolorum.
Præscriptio
Alexander

timus,& uenturam inde ſuggeſtu paternæ claritatis prædicemus. Adeo ut euacuatam non poſſumus dicere,ita nec peccatricẽ. Nec euacuatam, in qua dolus non fuit. Defendimus autem, non carnem peccati euacuatam eſſe in Chriſto,ſed peccatum carnis:nõ materiam,ſed naturam: nec ſubſtantiam, ſed culpam: ſecundum Apoſtoli autoritatem dicentis : Euacuauit peccatũ in carne. Nam & alibi, in ſimilitudine inquit carnis peccati fuiſſe Chriſtum: non quod ſimilitudinem carnis acceperit,quaſi imaginem corporis, & non ueritatis:ſed ſimilitudinẽ peccatricis carnis uult intelligi. Quod ipſa non peccatrix caro Chriſti eius fuit par,cuius erat peccatum, genere,nõ uitio Adæ: quando hinc etiã confirmamus eam fuiſſe carnem in Chriſto,cuius natura eſt in homine peccatrix. Et ſic in illa peccatũ euacuatũ,quod in Chriſto ſine peccato habeatur,quę in homine ſine peccato nõ habebatur. Nam neq; ad propoſitũ Chriſti faceret euacuantis peccatũ carnis, nõ in ea carne euacuare illud,in qua erat natura peccati. Neq; ad gloriam:quid enim magnũ,ſi in carne meliore & alterius,id eſt non peccatricis naturę, neuum peccati redemit? Ergo,inquis,ſi noſtrã induit,peccatrix fuit caro Chriſti. Noli conſtringere explicabilem ſenſum:noſtram enim induens,ſuã fecit. Suam faciens, non peccatricem eã fecit. Cæterũ quod ad omnes dictũ ſit, qui ideo nõ putant carnẽ noſtrã in Chriſto fuiſſe,quia nõ fuit ex uiri ſemine, recordentur Adam ipſum in hanc carnẽ,non ex ſemine uiri factũ. Sicut terra conuerſa eſt in hanc carnẽ ſine uiri ſemine,ita & dei uerbũ potuit ſine coagulo in eiuſdem carnis tranſire materiã. Sed remiſſo Alexandro cum ſuis ſyllogiſmis, quos in argumentationibus torquet, etiam cũ pſalmis Valentini quos magna impudẽtia quaſi idonei alicuius autoris interſerit,ad unam iam lineam congreſſionem dirigamus: An carnem Chriſtus ex uirgine acceperit, ut hoc præcipue modo humanam eam conſtet,ſi ex humana matrice ſubſtantiam traxit. Quanquam liquuit iam & de nomine hominis, de ſtatu qualitatis,& de ſenſu tractationis,& de exitu paſſionis humanã conſtitiſſe. Ante omnia autem commendanda erit ratio quæ præfuit,ut dei filius de uirgine naſceretur. Nouè naſci debebat,nouę natiuitatis dedicator. De qua ſignum daturus dominus,ab Eſaia prædicabatur. Quod eſt iſtud ſignum? Ecce uirgo concipiet in utero,& pariet filium. Concepit igitur uirgo & peperit Emanuelem, nobiſcum deum. Hæc eſt natiuitas noua, dum homo naſcitur in deo. In quo homine deus natus eſt, carne antiqui ſeminis ſuſcepta, ſine ſemine antiquo,ut illã nouo ſemine,id eſt ſpiritaliter reformaret, excluſis antiquitatis ſordibus expiatã. Sed tota nouitas iſta,ſicut & in omnibus,de ueteri figurata eſt,rationali per uirginem diſpoſitione domino naſcente. Virgo erat adhuc terra,nondum opere compreſſa, nondum ſementi ſubacta: ex ea hominem factum accipimus à deo in animã uiuam. Igitur ſi primus Adam ita traditur,merito ſequẽs,uel nouiſſimus Adã,ut Apoſtolus dixit,

Neuus peccati

14

Pſalmi Valentini.

Ad unã lineã congreſſionẽ dirigere

Nouæ natiuitatis dedicator.

Emanuel

proinde de terra,id est carne non generationi resignata in spiritū uiuifican-
tem à deo est prolatus.Et tamen næ mihi uacet incursus nominis ad eun-
dem Christum(Adam ab apostolo dictus est)si terreni non fuit census ho
mo eius.Sed & hic ratio defendit,quod dei imaginem & similitudinē suam
à diabolo captam æmula operatione recuperauit.In uirginem enim adhuc
Euam inrepserat uerbum ædificatorium mortis.In uirginem æque introdu
cendum erat dei uerbum extructorium uitæ, ut quod per eiusmodi sexum
abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Credi-
Eua derat Eua serpenti, credidit Maria Gabrieli: quod illa credendo deliquit,
Maria hæc credendo deleuit. Sed Eua nihil tunc concepit in utero ex diaboli uer-
bo.Imò concepit.Nam exinde ut abiecta pareret, & in doloribus pareret,
uerbum diaboli semen illi fuit.Enixa est deniq; diabolum fratricidam.Cō-
trà Maria eum ædidit,qui carnalem fratrem Israel interemptorem suū sal-
uum quandoq; præstaret.In uuluam ergo deus uerbum suum detulit, bo-
num fratrem, ut memoriā mali fratris redderet.Inde prodeundū fuit Chri-
sto,ad salutem hominis,quò homo iam damnatus intrauerat. Nūc ut sim-
plicius respondeamus, non competebat ex semine humano dei filium na-
sci,nisi totus esset filius hominis,non esset & dei filius, nihilq; haberet am-
plius Salomone,& amplius Iona,& de Ebionis opinione credēdus erat. Et
gò iam dei filius ex patris dei semine,id est spiritu,ut esset hominis filius,ca-
ro ea sola quæ erat ex hominis carne sumenda,sine uiri semine.Vacabat em̄
semen uiri,apud habentem dei semen. Itaq; sicut nondum natus ex uirgi-
ne,patrem deum habere potuit sine homine:æque cum de uirgine nascere-
tur,potuit matrē habere sine homine patre. Sic deniq; homo cū deo, dum
caro hominis cum spiritu dei.Caro sine semine,ex homine:spiritus cū semi-
ne,ex deo.Igitur si fuit dispositio rationis super filium dei ex uirgine pro-
ferendum, cur non ex uirgine acceperit corpus, quod de uirgine protulit?
Quia aliud est quod à deo sumpsit: quoniam,inquiunt, uerbum caro facta
est.Vox ista quid caro factum sit contestatur:nec tamen periclitatur quasi
statim aliud sit factum,caro & nō uerbum.Si ex carne factum est uerbum
caro, aut si ex semine ipso factum est,scriptura dicat. Cum scriptura non di
cat nisi quod sit factum,non,& unde sit factum:ergo ex alio, nō ex semine
ipso suggerit factum.Si non ex semine ipso,sed ex alio,iam hinc tracta, ex
quo magis credere congruat,carnem factum uerbum, nisi ex carne, in qua
& factum est: uel quia ipse dominus sententialiter & definitiue pronuncia-
uit: Quod in carne natum est,caro est:quia ex carne natum est.Sed si de ho
mine tantummodo dixit,non & de semetipso:planè nega hominem Chri
stum, & ita defende non & in ipsum competisse. Atquin subiicit: Et quod
de spiritu natum est,spiritus est.Quia deus spiritus est, & de deo natus est:
Hoc utiq; uel eo magis in ipsum tendit,si & in credētes eius. Si ergo & hoc

ad ipsum

ad ipſum,cur non & illud ſupra? neq; enim diuidere potes hoc ad ipſum,illud ſupra ad cæteros homines, qui utramq; ſubſtantiam Chriſti, & carnis & ſpiritus non negas. Cæterum tam carnem habuit quàm ſpiritū. De duarum ſubſtantiarum conditione pronuncia,quas & ipſe geſtat. Non poteſt uideri de ſpiritu quidē ſuo,de carne uero nō ſua determinaſſe. Ita cū ipſe ſit de ſpiritu dei,& ſpiritus deus eſt,ex deo natus ipſe eſt & ex carne hominis, homo in carne generatus. Quid eſt ergo nō ex ſanguine, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri,ſed ex deo natus eſt? Hoc quidē capitulo ego potius utar,cū adulteratores eius obduxero. Sic enim ſcriptum eſſe contendunt: Non ex ſanguine, nec ex carnis uolūtate,nec ex uiri, ſed ex deo natus eſt. Quaſi ſupra dictos credētes in nomine eius deſignet,ut oſtendat eſſe ſemen illius arcanū electorū,& ſpiritaliū,quod ſibi imbuunt. Quomodo aūt ita erit,cum omnes qui credunt in nomine domini,cōmuni lege generis humani ex ſanguine,& ex carnis, & ex uiri uoluntate naſcantur: etiam Valentinus ipſe: Adeo ſingulariter,ut de domino,ſcriptum eſt: & ex deo natus eſt. Merito quia uerbū dei,& cū uerbo dei ſpiritus,& in ſpiritu dei uirtus,& quic quid dei eſt Chriſtus. Quâ caro aūt,nō ex ſanguine,nec ex carnis & uiri uoluntate: quia ex dei uoluntate uerbū caro factum eſt. Ad carnem enim non ad uerbū pertinet negatio formalis noſtræ natiuitatis,quia caro ſic habebat naſci,nō uerbum. Negans aūt ex carnis quoq; uoluntate natū, cur non negauit etiam ex ſubſtantia carnis: neq; enim quia ex ſanguine negauit, ſubſtantiam carnis renuit,ſed materiā ſeminis,quā conſtat ſanguinis eſſe calorem: ut deſpumatione mutatum in coagulum, in caſeo eius eſt ſubſtantiæ, quam medicando conſtringit,id eſt lactis. Intelligimus ergo ex concubitu natiuitatē domini negatā,quod ſapit uolūtas uiri,& carnis,nō ex uuluæ participatiōe. Et quid utiq; tam exaggeranter inculcauit,nō ex ſanguine, nec ex carnis uolūtate aut uiri natū: niſi quia ea erat caro,quā ex concubitu natam nemo dubitaret. Negans porrò ex cōcubitu,nō negauit ex carne, imò cōfirmauit ex carne: quia nō proinde negauit ex carne,ſicut ex cōcubitu negauit. Oro uos ſi dei filius nō de uulua carnē participaturus deſcendit in uuluam, cur deſcendit in uuluam? potuit enim extra eam fieri caro ſpiritalis ſimplicius multo, quàm intra uuluam fieret extra uuluam. Sine cauſa eò ſe intulit, unde nihil extulit. Sed non ſine cauſa deſcendit in uuluam, ergo ex illa accepit. Quia ſi nō ex illa accepit,ſine cauſa in illam deſcendit,maxime eius qualitatis caro futurus, quæ non erat uuluæ, id eſt ſpiritalis. Qualis eſt autem tortuoſitas ueſtra, ut ipſam ex ſyllabam præpoſitionis officio adſcriptam auferre quæratis: & alia magis utiq; in hac ſpecie nō inuenitur, penes ſcripturas ſanctas. Per uirginē dicitis natū,nō ex uirgine. Et in uulua, nō ex uulua. Quia & angelus in ſomnis ad Ioſeph: Nam quod in ea natū eſt,inquit,de ſpiritu ſancto eſt. nō dixit ex ea. Nēpe tamē,& ſi ex ea dixiſſet,in ea

Tortuoſitas

dixerat

dixerat: In ea enim erat. Tantundem ergo & cum dicit, in ea, & ex ea, cõsonat: quia ex ea erat, quod in ea erat. Sed bene, quod idem dicit Matthæus, originem domini decurrens, ab Abraham usq; ad Mariã: Iacob, inquit, generauit Ioseph, uirum Mariæ, ex qua nascitur Christus. Sed & Paulus Grãmaticis istis silentium imponit. Misit, inquit, deus filium suũ factum ex mu-

Impressius liere. Nunquid per mulierẽ, aut in mulierem? Hoc quidẽ impressius, quod factum dicit, quàm natum: simplicius enim enunciasset natum. Factum aũt dicendo, & uerbum caro factum est, consignauit, & carnis ueritati ex uirgi-

17 ne factæ adseuerauit. Nobis quoq; ad hanc speciem Psalmi patrocinabun-

Valentinus tur, non quidem apostatæ & hæretici & Platonici Valentini, sed sanctissimi

Platonicus & receptissimi prophetę. Dauid ille apud nos canit Christum, per quem sececinit ipse Christus. Accipe & Dauid domino patri deo eloquentem, quia tu es qui auulsisti me ex utero matris meæ. ecce unum. Et spes mea ab uberibus matris meæ, super te sum proiectus ex uulua. ecce aliud. Et ab utero matris meæ deus meus es tu. ecce aliter. Nũc ad sensus ipsos decertemus. Auulsisti, inquit, ex utero. Quid auellitur, nisi quod inhæret, quod infixũ, innexũ est ei, à quo ut auferatur, auellitur? Si non adhæsit utero, quomodo auulsus est? si adhæsit qui auulsus est, quomodo adhæsisset, nisi dum ex utero est

Neruus umbilicaris. per illum neruum umbilicarem quasi folliculi sui traducem adnexam origi-

Concarnari. ni uuluæ? Etiam cum quid extraneum extraneo adglutinatur, ita concarna-

Produx sicut tradux tur & conuisceratur cum eo cui adglutinatur, ut cum auellitur, rapiat secum ex corpore aliquid, à quo auellitur, quasi sequelam quandam abruptæ unitatis, & producem mutui coitus. Cæterum quæ ubera matris suæ nominat? sine dubio quæ hausit. Respondeant obstetrices, medici & physici de uberum natura, an aliter manare soleant sine uuluæ genitali passione pendenti-

18 bus exinde uenis inferni sanguinis in mamillam, & ipsa translatione decoquentibus in materiam lactis lætiorem. Inde adeo fit, ut uberum tempore, menses sanguinum uacent. Quod si uerbum caro ex se factum est, non ex uuluæ communicatione, nihil operata uulua, nihilo iuncta, nihil passa, quomodo fontem suum transfudit in ubera, quæ nisi habendo nõ mutat? Habere autem sanguinem non potuit lacti subministrando, si nõ haberet causas sanguinis ipsius, auulsionem scilicet suæ carnis. Quid fuerit nouitatis in Christo ex uirgine nascẽdi, palàm est: scilicet solummodo hoc quod ex uirgine, secundum rationem quam ædidimus: & uti uirgo esset regeneratio nostra spiritaliter ab omnibus inquinamentis sanctificata per Christum uirginem & ipsum etiam carnaliter ut ex uirginis carne. Si ergo contendunt hoc competisse nouitati, ut quemadmodum non ex uiri semine, ita nec ex uirginis carne caro fieret dei uerbum: quare nõ hoc sit tota nouitas, ut caro non ex semine nata, carne processerit? accedant adhuc cõminius ad cõgressum: Ecce, inquit, uirgo concipiet in utero. Quid nam? utiq; dei uerbum non uiri

semine

semine:certe ut pareret filium.Nam & pariet, inquit,filium. Ergo ũt ipsius fuit concepisse,ita ipsius est quod peperit:licet non ipsius fuerit quod concepit.Contrà,si uerbum ex se caro factum est,iam ipsum se concepit & peperit,& uacat prophetia.Non enim uirgo concepit,neq; peperit, si non quicquid peperit ex uerbo concepto caro ipsius est sola. Hæc autem prophetæ uox euacuabitur?an & angeli cõceptum & partum uirginis annunciantes: an & omnis iam scriptura quæcunq; matrem pronunciat Christi? Quomodo enim mater,nisi quia in utero eius fuit? Sed nihil ex utero eius accepit, quod matrem eam faceret,in cuius utero fuit. Hoc nomen non debet caro extranea. Matris uterum non appellat,nisi filia uteri, caro.Filia uteri porrò non est,si sibi nata est. Tacebit igitur & Elisabeth prophetam prædicans, iam domini sui conscium infantem,& insuper spiritu sancto adimpleta. Sine causa enim dicit:Et unde mihi ut mater domini mei ad me? Si Maria nõ filium,sed hospitẽ in utero gestabat Iesum,quomodo dicit:Beatus fructus uteri tui? Quis hic fructus uteri,qui non ex utero germinauit, qui nõ in utero radicem egit? Qui non eius est,cuius est uterus? Et qui utiq; fructus uteri? Christus.An quia ipse est flos de uirga proiecta ex radice Iesse:radix autem Iesse,genus Dauid:uirga ex radice,Maria ex Dauid : flos ex uirga, filius Mariæ,qui dicitur Iesus Christus,ipse erit & fructus? Flos eñ fructus: quia per florem & ex flore omnis fructus eruditur in fructũ. Quid ergo? negant & fructui suum florem,& flori suam uirgam,& uirgæ suã radicem, quo minus radix sibi uendicet per uirgam proprietatem eius quod ex uirga est floris & fructus. Siquidem omnis gradus generis ab ultimo ad principalem recensetur,ut iam nunc carnem Christi,non tantum Mariæ, sed & Dauid per Mariam sciant adhærere deo. Hũc fructum ex lumbis Dauid, id est ex posteritate carnis eius iurat illi deus confessurum in throno ipsius, Si ex lumbis Dauid,quãto magis ex lumbis Mariæ,ob quã in lumbis Dauid.Deleant igitur & testimonia dæmonum, filiũ Dauid proclamantia ad Iesum: sed testimonia Apostolorum delere nõ poterunt, si dæmonum indigna sunt.Ipse in primis Matthæus fidelissimus euangelij commentator, ut comes domini:non aliam ob causam,quàm ut nos originis Christi carnalis compotes faceret,ita exorsus est:Liber genituræ Iesu Christi filij Dauid,filij Abraham.His originis fontibus genere manante cum gradatim ordo deducitur, à Christi natiuitate, quid aliud quàm caro ipsa Abrahæ & Dauid,per singulos traducem sui faciens in uirginem usq; describitur inferens Christũ:imò ipse Christus proditur de uirgine? Sed & Paulus,utpote eiusdem euangelij & discipulus,& magister,& testis, quâ eiusdẽ ipsius Christi apostolus,confirmat Christum ex semine Dauid secundũ carnem, utiq; ipsius.Ergo ex semine Dauid caro Christi.Sed secundum Mariæ carnẽ ex semine Dauid : ergo ex Mariæ carne est, dum ex semine est Dauid. Quo-

cunq;

cunq; detorseris dictũ,aut ex carne est Mariæ, quod ex semine est Dauid: aut ex Dauid semine est, quod ex carne est Mariæ. Totam hanc controuersiam dirimit idẽ apostolus,ipsum definiens esse Abrahæ semen. Cũ Abraham,utiq; multo magis Dauid,quasi recentioris. Retexens eñ promissionem benedictionis Nationum in nomine Abraham, & in semine tuo benedicentur omnes nationes:non,inquit,dixit seminibus tanquam de pluribus,sed semine:de uno,quod est Christus. Qui hæc legimus & credimus, quam debemus & possumus agnoscere in Christo carnis qualitatem? utiq; non aliam, quàm Abraham. Siquidem semen Abraham Christus. Nec aliam quàm Iesse,siquidem ex radice Iesse flos Christus. Nec aliam quàm Dauid, siquidem fructus ex lumbis Dauid Chrstus. Nec aliam quàm ex Maria,siquidẽ ex Mariæ utero Christus. Et adhuc superius:nec aliã quàm Adam,siquidem secundus Adam Christus. Consequens ergo est,ut aut illos spiritalem carnem habuisse contendant, quo eadem cõditio substantiæ deducatur in Christo: aut concedant carnem Christi spiritalem non fuisse, quæ non de spiritali stirpe censetur. Sed agnoscimus adimpleri prophetica uocem Simeonis,super adhuc recentem infantem dominũ pronunciatam: Ecce hic positus est in ruinam & suscitationem multorum in Israel, & in signum quod cõtradicetur. Signũ enim natiuitatis Christi,secundũ Esaiam, propterea dabit uobis dominus ipse signum, Ecce uirgo concipiet in utero, & pariet filium. Agnoscimus ergo signum contradicibile,conceptum & partum uirginis Mariæ:de quo Academici,uti,Peperit,& non peperit: Virgo, & non uirgo:quasi non &(si ita dicendum esset)à nobis magis dici conueniret. Peperit enim,quæ ex sua carne:& non peperit, quæ non ex uiri semine. Et uirgo quantum à uiro,non uirgo quantum à partu. Non tamen ut ideo non peperit:& ideo uirgo,quæ non uirgo,quia nõ de uisceribus suis mater. Sed apud nos nihil dubium,nec retortum in ancipitem defensionem: Lux, lux,& tenebræ,tenebræ:& est,est:& nõ,non. Quod amplius hoc,hoc à Malo. Peperit,quæ peperit. Etsi uirgo concepit, in partu suo nupsit, ipsa patefacti corporis lege,in quo nihil interfuit de ui masculi admissi,an emissi:id est illud sexus resignauit. Hæc deniq; uulua est, propter quã & de alijs scriptũ est:Omne masculinum adaperiens uuluam, sanctum uocabitur domino. Quis uere sanctus,quàm dei filius? Quis proprie uuluam adaperuit,quàm qui clusam patefecit? Cæterum omnibus nuptiæ patefaciunt. Itaq; magis patefacta est,quia magis erat clausa. Vtiq; magis non uirgo dicenda est q̃ uirgo,saltu quodã mater antequàm nupta. Et quid ultra de hoc retractandum est? cum hac ratione Apostolus nõ ex uirgine,sed ex muliere æditum filium dei pronunciauit,agnouit adapertæ uuluæ nuptialem passionem. Legimus quidem apud Ezechielem de uacca illa quæ peperit, & non peperit. Sed uidete ne nos iam nunc prouidens spiritus sanctus notarit hac uoce,dissceptaturos

Peperit,non peperit. Virgo,non uirgo

ſceptaturos ſuper uterum Mariæ. Cæterum non contra illam ſuam ſimplicitatem pronunciaſſet dubitatiue, Eſaia dicente, concipiet & pariet. Quod enim Eſaias iaculatur in ſuggillatione hæreticorũ ipſorum: & in primis, Væ qui faciunt dulce amarum, & tenebras lucem: iſtos ſcilicet notat, qui nec uocabula iſta in luce proprietatum ſuarum conſeruant: ut anima non alia ſit, quàm quæ uocatur: & caro non alia, quàm quæ uidetur: & deus non alius, quàm qui prędicatur. Ideo etiam Marcionem proſpiciens, Ego ſum, inquit, deus: & alius abſq; me non eſt. Et cũ alio idipſum eodem modo dicit: Ante me deus non fuit, neſcio quas illas Valentinianorum æonum genealogias pulſat. Et, Non ex ſanguine, neq; ex carnis & uiri uolũtate, ſed & ex deo natus eſt, Hebioni reſpondit. Æquè: Etiam ſi angelus de cœlis aliter euangelizauerit uobis q̃ nos, anathema ſit: ad energema Apelliacæ uirginis Philumenes filum dirigit. Certe qui negat Chriſtũ in carne ueniſſe, hic antichriſtus eſt: Nudam & abſolutam & ſimplici nomine naturæ ſuæ pronũcians carnem, omnes diſceptatores eius ferit: Sicut & definiens ipſum quoq; Chriſtum unum, multiformis Chriſti argumentatores quatit, qui alium faciunt Chriſtum, alium Ieſum: alium elapſum de mediis turbis, alium detentum: alium in receſſu montis, in ambitu nubis ſub tribus arbitris clarum, aliũ cæteris paſſiuum, ignobilem: alium magnanimum, alium uero trepidantem: nouiſſime alium paſſum, alium reſuſcitatum: per quod ſuam quoq; in alia carne reſurrectionem adſeuerant. Sed bene quod idem ueniet de cœlis, qui eſt paſſus: idem omnibus apparebit, qui eſt reſuſcitatus. Et uidebũt & agnoſcent, qui eum confixerũt: utiq; ipſam carnem in quam ſæuierunt: ſine qua, nec ipſe eſſe poterit, nec agnoſci. Vt & illi erubeſcant, qui adfirmant carnem in cœlis uacuã ſenſu, ut uaginam exempto Chriſto ſedere: aut qui carnem & animam tantundem, aut tantummodo animam, carnem uero non iam. Sed hactenus de materia præſenti ſatis. Iam enim arbitror inſtructam eſſe carnis in Chriſto, & ex uirgine natæ & humanæ probationem. Quod & ſolum diſcuſſum ſufficere potuiſſet citra ſingularum ex diuerſo opinionũ congreſſionem, q̃ & argumentationibus earũ, & ſcripturis quibus utũtur prouocauimus ex abundãti, uti eo quod probauimus quid, & unde fuerit Chriſti caro, quid non fuerit aduerſus omnes prædicauerimus. Vt autem clauſula de prefatione communi faciat, reſurrectio noſtrę carnis alio libello defendenda, hic habebit præſtructionem, manifeſto iam quale fuerit quod in Chriſto reſurrexit.

Passiuus 20

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI,
DE CARNE CHRISTI, FINIS.

UNIVERSIDAD DE MURCIA

ARGVMENTVM LIBRI SEQVENTIS PER BEATVM RHENANVM.

IN PRAECEDENTI libro solidam Christi carnem probauit Tertullianus, in qua etiam ille resurrexerit. Nunc de nostræ carnis resurrectione disputationē init in hoc libro, non magis piam quàm necessariā. Præcipuum enim quiddam mortuorum resurrectio. Primū itaq; commemoratis aduersariorum in carnem conuicijs, quibus resurrectionem apud simplices exagitant, dignitatem carnis ostendit, nempe cuius autor ac redemptor sit deus: neq; enim uilem habendam cui deus sui spiritus auram inseruerit: aut contemnendam uideri pro qua lucrifacienda de cœlo descendere uoluerit. Ibi carnē uarijs attollit modis. Deinde de potestate dei differit, quiduis efficere ualentis. Mox ex reuolubili rerum ordine resurrectionem persuadet, huius specimen exhibens phœnicem. Sed & causam affert resurrectionis, uidelicet quod integritas iudicij de totius hominis repræsentatione constet. Qua iam explicata arguit eos qui resurrectionem in arcanis Prophetici instrumenti literis prædicatam, spiritaliter tantum uolebāt intelligendam, nimium amantes allegoriarum. Ipse cum ex figuratis tum simplicibus atq; apertis Prophetarum oraculis corporalem resurrectionem astruit. Atq; idem deinde facit Euangelicis utens testimonijs, & mox Apostolicis. Vbi pulchre declarat carnis opera ab Apostolo damnari nō carnē. Ad hæc ut abunde huic negocio satisfaciat, de qualitate quoq; resurgentiū corporum prolixe meminit, quæ nō erunt alia, sed aliter reuertentur. Ibi demonstrat aliud esse demutationem, aliud perditionem: per illam non naturam, sed cōditionem reformandam. Postremo Christianorum & ethnicorum eandem esse resurrectionem docens, tradit uita à necessitatibus iam liberata, membra quoq; liberatum iri, sed tamen necessaria futura. In summa colligit, carnem resurrecturam & omnem, & ipsam, & integram. Porrò offendere uidetur in hoc libro, quemadmodum in proxime superiori, quod animam corporalem esse scribit, habentē proprium genus substantiuæ soliditatis, per quam quid & sentire & pati possit. De qua re uolumen ædidit, ut ipse testatur, quod suppressum putamus. Sed & alibi deo nescio quid affingit corpulentię. Quod Aur. Augustinus excusare conatur, nō prorsus impie dictum putans, si recte quis intelligat. Sed hij errores iam olim sunt explosi, quemadmodum & ille, quod status animæ per traducem propagetur. In fine huius libri nouæ prophetiæ meminit, & paulo ante Priscæ prophetidos, ut appareat serius scriptum. sed & alios quosdam libros suos hic allegat.

ARGVMENTI FINIS.

ANNOTATIONES IN LIBRVM SEQVENTEM.

1 CVm crematis cremat.) Subauditur aliquid. Sensus est, Sacrificat ne an insultat potius, quum crematis hominum corporibus superiniectos etiam cibos cremat. Vt Euphorbus in Pythagoram, Homerus in pauum recensean tur.) Acron Grammaticus exponens illud Horatij in Oda XXVIII. habentq; Tartara Panthoiden iterū orco Demissum: Pythagoram, inquit, significat, qui prædicauit se apud Troiam Euphorbum Panthoi filium fuisse, qui interfectus à Menelao iterum reuixit factus Pythagoras: idq; eum cognouisse agnito clypeo, quem templo Euphorbus fixerat. Hic antè & in Homerum dicitur renatus, postea in pauonem, postremo in Ennium poetam. Hactenus ille. Proinde sic apud Ouidium XV. libro Metamorph. loquitur Pythagoras,

Ipse ego

Ipſe ego(nam memini)Troiani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram,cui pectore quondam
Hæſit in aduerſo grauis haſta minoris Atridæ.
Cognoui clypeum leuæ geſtamina noſtræ
Nuper Abanteis templo Iunonis in Argis.

Quod uero præcedit,Etſi non in eadem,etſi nõ in humana tantummodo, Pythagoras apud Ouidium huiuſmodi μετεμψύχωσιν docens, ait,

Et quoslibet occupat artus
Spiritus, eq; feris humana in corpora tranſit.

Certè recidiuatum animæ corporalem pron.) Recidiuatũ uſurpat in quarta inflexione.Sic infra.Quæ carnis recidiuatum pollicentur, Pulſata ſalute licet non addita.) Scripſimus licet non adita ab exemplaribus ſcriptis diſſentientes. Vt ſit ab adeundo.Metaphora eſt pulſantis oſtium,qui tamen nolit aut nõ poſſit ingredi.Sic infra. Qua quis adita ueritate redanimatus & uiuificatus deo.

Partiarios ſententiæ illorum.) Marcionitas & Apellitas hæreticos intelligit partim cum Sadducæis ſentientes dimidiamq; agnoſcentes reſurrectionem.

Quàm alterius diuinitatis hæretici.)Alterius rurſum pro alius,id eſt diuerſę, Vt mox, Alterius diuinitatis temperant ſenſum.Item ad alterius ſpei autorem.

Et hominem & filium hominis inſcripſerit.)Inſcripſerit,id eſt declarauerit. 2.

Proinde & obducimus.) Obducere pro euincere. Vt mox, Obducti dehinc de deo(ſic enim in hac æditione diſtinximus expoſcente ſenſu)pro conuicti.

Depreciatibus carnis.)Id eſt depreciationibus carnis,nam gaudet uocabulis iuxta quartam declinationem inflexis.Intelligit eleuationes carnis,derogationes uituperationesq; carnis. Quo cuneo decurrendum ſit.) Intelligit de cuneo argumentorum.Mox pro,quo modo uolunt,ſcripſimus quoquo modo uolunt. Ex Gorzienſi. Viderit unus aliqui Lucanus.) Sic dixit aliqui Lucanus, id 3
eſt aliquis Lucanus,ut in De carne Chriſti,In Lazaro aliquo.Et ibidem mox, In aliquo Zacharia,Et hic paulo poſt, Vtar ergo & ſentẽtia Platonis alicuius. Item libro primo aduerſus Marcionem, Si non aliquis Eſaias. Intelligit autem Lucanum hæreticum cuius mentionem fecit in libello de hæreſibus. At cum dicit,Sed urſus forſitan tanquam Lucanus, alluſio eſt ad gentis nomẽ. Sita eſt Lucania inter Campaniam & Brutios. Horatius:

Pecúſue Calabris ante ſydus feruidum Lucana mutet paſcua.

Pro cauſarum incurſione præſtricta diſtulimus.)Forte melius, perſtricta.

Eſt quidem & cõmunibus ſenſibus ſapere in dei rebus.) Id eſt, etiã cõmunes ſenſus ſapiunt in dei rebus. Si uideris.)Scripſimus ſi uides. Item paulo poſt eoq; fideliores exiſtimantur.Et paulo ante,Aufer deniq; hæreticis. Nam præcedit,Diſcede,Redde. Compaſſio ſententiarũ.) Conſenſum intelligit & mutuum reſponſum.Medicorum uocabulum eſt.Græci συμπάθειαν dicunt.

Poſt totum ignobilitatis elogium,)Id eſt recenſionem.In bonam & in malam partem accipitur elogium.Sic infra.Religionẽ publico odio & hoſtili elogio ob- 4
noxiam. Et recordatui tuo.)Recordatus pro recordatione. Perſuadere.)Paſſiuæ uocis eſt,id eſt perſuaderis.Interrogatiue legendum. In integrũ de corrupto.)Opponit Integrum corrupto,Solidum caſſo,Plenum inanito, Aliquid nihilo. Et utiq; redhibentibus ea imaginibus & undis.)Reſtituimus ex Gorzienſi collatione deprauatam lectionem. Et utiq; redhibentibus eã ignibus & undis,& aluis ferarum,& rumis alitum,& lactibus piſcium.Sic infra, Vti credas,de ignibus quoq; ſubſtantiã corporis exigi poſſe.Eſt autem Ruma,quod alij rumen uocant,prominens ſub mento gutturis pars,qua cibus in aluũ deſcen-

dit,à quo Rumino uerbum & ſtruma deducuntur. Lactes ſunt per quas cibus de mittitur in homine, inquam, & oue. In cæteris animalibus lactes ipſa ſunt ilia.

Et ipſorum propria gula.) Alludit ad Vedij Pollionis guloſam ſæuitiã & ſæuientem gulam. nam is damnata mancipia uiuarijs murenarum immergebat, nõ tantum ut totũ hominem pariter diſtrahi ſpectaret, quod Plinius prodit, uerum etiã ut humana carne in piſcibus ueſceretur, quod docet Tertullianus in De pallio, his uerbis, Immergo æquè ſcalpellum, inquit, acerbitati, qua Vedius Pollio ſeruos murenis inuadendos obiectabat. Noua ſcilicet ſæuitia delectato terrenæ beſtiæ exedentulæ, & exanguis, & excornis, de piſcibus placuit feras cogere, utiq; ſtatim coquendis, ut in uiſceribus earum aliquid de ſeruorũ ſuorum corporibus, & ipſe guſtaret. Hæc illic. Ergo nõ ſine cauſa hic dicit, Et ipſorum propria gula redhibente, ſubaudi quę deuorauerat de carne humana. Cæterũ quantum etiã ſpurciloquio liceat, illorum in congreſſibus experiri.) Hoc loquendi modo Tertullianus ſæpe utitur, ut uerbum ſemel ponat, quod mox repetendũ ſit, ut hic, illorũ in cõgreſſibus experiri, ſubaudi liceat uel licet. Sed & mũdus.) Obiectio hæreticorum uſq; ad iſta uerba. Ad diſtantiam enim prouocamus.

Ad diſtantiam enim prouocamus.) Mundi uidelicet & hominis, unde ſequitur, Magnæ ſine dubio differentiæ ratio pro conditione ſcilicet rerum.

5 Recogita totũ illi deum occupatũ ac dedicatum.) Illi, id eſt in illa materia ſeu propter illam materiam, eiuſq; cauſa occupatum. Quod dedicatur totum eius eſt cui dedicatur, cõſecratur, attribuitur. Nõ rapinam exiſtimauit par in deo.) Legendũ pariari deo quanquam refragantibus exemplaribus ſcriptis. Sic enim uertit Græcũ uerbum ἰσάζω. De hoc uerbo alibi. Artificis faſtigiũ.) Faſtigiũ id eſt maieſtatem, dignitatẽ, amplitudinẽ. Elegans uocabulum. Phidię manus Iouem Olympium ex ebore molitur.) Plinius lib. XXXIIII. cap. octauo, Minoribus ſimulacris ſignisq;, inquit, innumera prope artificum multitudo nobilitata eſt, ante omnes tamẽ Phidias Athenienſis, Ioue Olympię facto, ex ebore quidẽ,
6 ſed & ex ære ſigna fecit. Nõ ferro, ne argento quoq; oblaqueaſſet, ſed electiſſimo.) Quanquã diſſentiant exemplaria manu ſcripta, tamẽ mutauimus lectionem, & pro oblaqueaſſet, ſcripſimus oblaquees, ſed electiſſimo & iuſt. hoc eſt, circundes, cingas, includas, ut ſit à lacu deductũ uerbũ oblaqueo, quemadmodũ ablaqueo: cuiuſmodi eſt quod ſequitur, Deſcrobes, id eſt inſeras, à ſcrobe, id eſt fouea. Alicui cõmiſerit capulo. Corpus capulũ animæ uocat. i. receptaculũ.

7 Carni quoq; ſubiaceant per quod utaris neceſſe eſt.) Opinor ſcribendũ, Carni quoq; ſubiaceat per quod utaris, ſubaudi carne. Intelligit autẽ bona opera quæ carni ſint ſubiecta, ab ea pendentia. Quare ſacrificiorũ poſtea meminit ieiuniorũ uidelicet & pœnitentiæ, incarcerationis atq; martyrij. Cũ anima deo alligitur.) Alligitur hic & mox alligi ſcriptum eſt pro allegitur & allegi. Allegebantur olim ciues Romani in ſenatum. Allegitur anima deo, quum homo religioni nomen dat. Sic infra. Donec impleantur tẽpora Nationũ allegendarũ, ſcilicet deo.

Et adpendices huius officij ſordes.) Loquitur de ſqualore corporis qui pœnitentiæ eſt argumentũ. Explicat enim fuſius quod hic innuit in libro de pœnitentia quum inquit, De ipſo quoq; habitu atq; uictu, ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus deijcere, illa quæ peccauit triſti tractatione mutare. Et quæ illic ſequũtur. Matrimonij diſſimulatio.) Valde fauit caſtitati Tertullianus. Et una notitia eius.) Hoc dicit propter monoga-
8 miã. Dogma reiectum eſt. Solum optimum à Chriſto addiſcimus.) Scripſimus à Chriſto eius, addiſcimus, hoc eſt à Chriſto boni dei. Omnis uis dei benefica uacuiſſet.) Iterum hic uacuiſſet legitur iuxta uulgarem Aphrorum

pronun

pronunciationem ut uidetur. Nos diceremus, uacasset. Legis cũ quando.) Suffecisset alterum istorũ ponere, cum deprimitur. Vel quando deprimitur. Nisi fuit tum. Infra reposuimus in publico naturæ promulgarit. nam Paterniacensis codex apertè habet, promulgaret. Item mox sciant deũ nosse pro sitiant. Ex Gorziensi. Vtrumq; mihi adplaudit.) Hoc est utrumq; mecũ facit, adiuuat me. 9

Siue de materia moderatus est alia.) Moderari pro fabricari, efficere.

Dies moritur in noctem. Vel hic uides quàm non inamœnus scriptor sit Tertullianus in digressionibus. Vbiq; iustitium est.) Iustitium est quũ à litibus & cognitione causarum in foro cessatur, dictum quòd iuris statio sit. Hic usurpat metaphoricos. Hæres sibimet existens.) Nam subinde redit. Defunctis uita qui non amplius reuertuntur, hæredes succedunt in bonis possidendis.

Et uerna & autumna.) Durè. Natali fine.) Nam moriendo renascitur. 10
Eleganter dictum Natalis finis. Si uertas erit Finalis natiuitas. Sed homines semel interibunt.) Ironia est. Quo cum maximè diuis. istam materiã ordinamus.) Quo, id est quo auxilio, quo subsidio edictorũ atq; decretorum.

Sed cum Marcione plenius disces.) Remittit lectorem ad libros quos aduersus Marcionem scripsit. Nescio iam si deus.) Sensus esse uidetur. Nescio an 11
deus hæreticorũ, deus sit, quando nec autor est, quòd tamen uerus, id est noster deus esse scitur: nec item dominus est, quod esse debebat si autor esset. An non itaq; iudicium resurrectio expunget?) Expunget, id est perficiet. Congruẽtissima scilicet & deo destinatio. Dicis, de cuius dispositione.) Legendũ, Cõgruentissima scilicet deo destinatio iudicij: de cuius dispositiõe dispicias. Siquidẽ præcedit, Iudiciũ in hominẽ destinare. Et infra. Denicq; hæc erit ratio in ultimũ finem destinati iudicij. Ex utriusq; substantiæ congregatione parere.) Parere, pro apparere, comparere. Per tot substantias dispungenda, per quot & functa est.) Dispungenda, id est quæ satisfacere debet. Alia argumentatio- 12
ne subuertunt.) Subaudi quod diximus aut docuimus. Vice potius uascu-
li apparere animę.) Apparere, id est ministrare, famulari, inseruire. Et est, ut Asconius docet, minoris ad maiorem. Vnde apparitores dicti uiatores, qui iudicibus præsto sunt & iussa nutusq; eorum expectant. Fictricis, uel archigalli, uel gladiatoris, aut carnificis spiritu infectum.) Archigalli principes sunt gallorum siue exectorum. Autore Iulio Firmico, Venus in decimo ab horoscopo loco facit eunuchos & archigallos. Cæterũ hoc hominũ genus uelut inauspicatũ, exosum esse solet, & propter eos qui taleis habent in delitijs etiam turpe & flagitiosum. Gladiũ uel latrocinijs ebriũ.) Ex nostro iudicio scripsimus, gladiũ ue latrocinijs ebriũ. Præsumens scilicet, nihil aliud se quàm inuidia animarum, somniaturum.) Et hic ex nostro iudicio dictionem, inuidia in inludia, sic uerba distinguẽtes, Præsumens scilicet, nihil aliud se quàm inludia animarũ somniaturum. uocat aũt inludia animarum, illusiones manium, in ultionẽ inimicos suos parricidij autores exagitantium. Coronis quoq; potatoris sui inorbitur.) Inorabitur, id est in ora siue extremitate cingetur potatoris sui coronis. Quemadmodum in scholijs libelli De patientia antè meminimus. Laudem suam consecratione pensabit.) Hoc est, dicabitur templo trophæi instar suspensus.

Certus & hos coronatus ab anima agi.) Emendauimus, conatus. Ex Gorzi- 13
ensibus annotatiunculis. In alienam culpæ.) Sic hic dicit alienã culpæ, hoc est à culpa, sicut mox extranea gloriæ. & paulo post, Exules carnis. Habentem propriũ genus substantiæ soliditatis.) Aliquando legendũ puraui, substantiuæ aut substantis soliditatis. Sed solet omittere coniunctiones, quemadmodũ supra admonuimus. Subaudi igitur, Et. Exponeq;, Habentem propriũ genus sub-

ſtantiæ & ſoliditatis, per quam &c. Sic in De patientia, Nomen familiam ipſius
14 perſequentes. Cui cũ tota autoritate ſi iuſtorũ patrociniorum procurent, hon.d.) Caſtigaui meũ ſecutus iudicium, Cui cũ tot autoritates iuſtorum patroc. procurẽt, hon.d. &c. Sępe uero ſic loquitur, procuro tibi. Ergo procurent hic interpretare, faueant, ſubſcribant, adſint. Scilicet honores ſubſtantiæ ipſius, uires dei, exẽpla earũ, ratio iudicij & neceſſitates. Aut iudicio inhabitabile.) Opinor Tertullianũ ſcripſiſſe, Iudicio inlaudabile, quod uidelicet caro pœnã pẽdat.

Videamus igitur primũ quonam ſtilo ſpes iſta proſcripta ſit.) Sic ſupra. Apoſtolũ quoq; ne de uno ſtilo noris, quo carnẽ plerunq; cõpungit. Sed quia ſequitur infra, Et hæc itaq; diſpectio tituli & præconij ipſius, & ſic habet Gorzienſis quoq; codex, ſcripſimus titulo. Et paulo inferius, pro ſuſcitabit ingreſſa, ſuſcita-
15 uit ingreſſa, ſenſu id requirente, & b pro u poni librarijs ſolenne eſt. Vt ſi-
16 qua pars diuerſa turbat.) Siqua, id eſt ſi aliquid. Tunc quod.) Ex noſtro iudicio ſcripſimus, Tum quod. Ambigue annuata.) Verbũ inſolẽs, forte legendum annunciata. Sic infra, Quia ſi nulla tũc annunciaretur. Et mox, Quia nõ & tunc ſpiritalis annũciaretur reſurrectio. In aduentu, opinor Chriſti.) Aptius dixiſſet in aduentũ. Quod ſemel ſufficiat adnotaſſe. Sic ſupra, Ita nec in ueritate mortis cadit, quæ nec in imagine eius ruit. Itẽ in de Carne Chriſti, Et in cœlo re-
17 ſumpta eſt. Mox ſcripſimus, Sed plus eſt q. Et tunc erit Hieruſalem concul-
18 catui nationibus.) Conculcatus pro conculcatione. Secundum angelorum conſtitutum.) Conſtitutũ ſicut ſtatutum pro conſtitutione. Verbũ Iureconſultis ueteribus uſitatum. Locus eſt Actorum cap. primo, Ecce uiri duo aſtiterũt illis,
19 amicti ueſtibus albis, &c. Secundum ſcopũ perſequor ad palmam incrimi-nationis.) Sic Græcè Paulus, πῆς δὲ ἐμπροσθεν ἐπεκτεινόμενος κατὰ σκοπὸν διώκω, εἰς τὸ βραβεῖον τῆς ἀνω κλήσεως τοῦ θεοῦ ἐν χριστῷ ἰησοῦ, id eſt, In priora autem me extẽdens iuxta ſcopum inſequor ad palmam ſupernæ uocationis dei in Chriſto Ieſu. Verũ quod hic uertit incriminationis, reſpicit locum qui mox ſequitur ad Timotheum ubi iubet eũ cuſtodire mandatũ immaculatum, irreprehenſibile, in apparentiam domini Ieſu Chriſti. Græcè eſt ἀνεπιλημπτον. Expone ergo incriminationis, id eſt irreprehenſibilitatis, ut ita dicam. Non mirum aũt ſi uſurpet incriminationẽ pro fide integra quam nemo criminari queat, quum alibi dicat Inbonum pro nõ bono. Sic mox hic δυνάστης uertit potentator. Paulo poſt pro Quæ tempora, ſcripſimus, Quæ hæc tempora. Ex Gorzienſi. Sed aut mortui erunt.) Nos ſic diſtinximus, Sed aut mortui erunt iam corporaliter, ut reſurrexerint: & quomodo uiuunt? Aut in nubes erepti, & quomodo hic ſunt? miſere. Quũ uero dicit, ut reſurrexerint, intellige reſurrectione ſpiritali quã ipſi aſtruunt in hac uita cõtingere. Infra ſcripſimus, Ac ſi per noſtram. Cum aut nunc decet eam expungi.)
20 Expungi, id eſt perfici. Vti ille iubetur, ſiue lædatur per conſiſtoris ſui exi-
21 tus.) Librarij b pro u ſubinde ponunt, quare mutauimus ex noſtro iudicio iubetur in iuuetur. Quod uero ſequitur, conſiſtoris ſui, conijcio primum fuiſſe conſiſtori pro cõſiſtorij, cui per incuriam librarius primam ſequẽtis dictionis literam addiderit, id quod ſæpe fieri ſolet. Vocat autem conſiſtorium terram à conſiſtendo, nam in hac conſiſtit homo. Alioqui conſiſtoriũ uocamus locum in quo cauſę cognoſcuntur. Semel homini addicta conditione.) Conditio pro orbe condito. Vt mox: ipſam conditionem colentes aduerſus conditorem, id eſt creaturã.

Quam & patrum dici capiat.) Hoc loquendi modo etiam alibi utitur, hoc eſt, dici liceat, ſiue dicere poſſis. In fine præſcriptionum, Alia capit opinari eos qui
22 exorbitant, id eſt accidit, ut alias etiam opiniones habeant qui exorbitant.
23 Et rurſus inſinuat.) Inſinuare dixit pro in ſinum abſcondere. Reſurrectionem

ctionem ſubradiant.) Subradiare actiuè, pro innuere, leuiter oſtendere, quod au-
tores ſubindicare dicunt. Et ipſum dubium præſtruxit.) Id eſt prius inſtru- 24
xit prophetam. Reſurrectionis uero ſpes apud illum ſæpiſſimè ceciniſſet.)
Arbitror Tertullianum ſcripſiſſe, deſciuiſſet. Sic autem diſtinximus præceden-
tem ſententiã, Planè ſi & populus allegoricè muſſitaret oſſa ſua arefacta, & ſpem
ſuam perditam, diſperſionis exitũ, querulus, merito uideretur & deus fig. deſp.
fig. promiſſione conſolatus. Manifeſtus eſt.) Subaudi populus. Ad Græ-
corum imitationem dictum. Mox pro reſtruebat ſuppoſuimus, reſtituebat, Ex
Gorzienſi. Quanquam etſi aliqua.) Diſtinximus. Quanquam etſi al. p. r.
tunc conflictatione hærebat Iſrael, non idcirco & cętera. Quàm capulum.) 25
Senſus eſt, Cetus ille piſcis potuiſſet ſpacio trium dierum concoquere Ionæ car-
nem, nihilo difficilius quàm intra ſe tenere potuit, quum uenter ceti ſepulchro
ueteri atq; abdito non eſſet abſimilis, in quo Ionas erat immerſus.

Saluo eo quod & beſtias feros in Chriſtianum uel maximè nomẽ homines.)
Senſus eſt, Non inficiandum quod deus figurauit, id eſt per figuram præmon-
ſtrauit beſtias illas de quibus apud Moyſen ſanguis exquiritur, eſſe feros iſtos
ſiue efferatos homines præſertim in nomen Chriſtianum, id eſt Chriſtianæ re-
gionis perſequutores, uel ipſos cacodæmonas, à quibus per uindictam ſanguis
Chriſtianorum exigetur. Non aut ab ipſo inuenias ediſſertatam.) In manu- 26
ſcriptis exemplaribus legitur ediſſeratã ſicut dicimus reſeratam. Legerim ediſ-
ſertam aut ediſſeratam. Quæ ad diſpenſationem.) Ex Gorzienſi collatione
ſuppoſuimus diſpoſitionem, Et mox pro præſtrinximus, præſtruximus. Sic ſu-
pra. Idcirco deus & prophetam quaſi ipſum dubium præſtruxit ad conſtantiam
prædicationis. Cum etiam ſecularium principum pl. ſ. indulgentia uin- 27
dicetur.) Hoc uerbum uſurpare ea ætas uulgo cœpit. Sic infra, Si non omnem
lachrymæ imbrem indulgentia diuina ſiccaret. Mox ſcripſimus, Diabolus ualen
tior. Item infra, Cum altera ſalutem conſecutura ſit. Contentioſo fune
deducere.) Prouerbialiter dictum, de argumentis cum prolixis tum perplexis.

In hoc ſcilicet reficietur ne ſit.) Ironia eſt. De carnis ſcilicet obtentu.) 28
Obtentũ uocat prætextum. Tunc negabit.) Ex noſtro iudicio pro negabit
& demonſtrabit poſuimus, negauit & mox demonſtrauit. Item, poſt quam nõ
nubent. In deum uocaretur.) Hoc eſt in diuinam poteſtatem, quã idoneam
ſupra ait reſuſcitandis mortuis. Reſurrectio enim mortuorũ, apud dominum ui-
uorum, id eſt deum. Et fide dirigendus.) Emendauimus, & fide digerendus. 29
Nam deuorationem ruminatio, ruminationem digeſtio ſequitur.

Præuerterãt.) id eſt antepoſuerãt. Enimuero ſi ad fidẽ potius ſequeſtran
dam futuræ reſurrectionis.) Sequeſtrare eſt aliquid apud ſequeſtrum deponere,
ut in tuto ſit. Vnde res ſequeſtrata Iureconſultis. Expone igitur ad fidem futuræ
reſurrectionis ſequeſtrandam, id eſt, ut ita dicam, certificandã, & ſecuritati uin-
dicandam. Quod uerbum etiam ſupra legitur, ni fallor. Porrò quum paulo poſt
dicit, Ne aliter documenta præmiſiſſe quàm rem depoſuiſſe uideatur, explicat
quid ante per fidẽ ſequeſtrandam intellexerit. Quàm ueteris reſignandi, & 30
noui conſignandi.) Nam apoſtoli ueteris teſtamenti figuras explicuerunt, & no
uum confirmarunt. Infra ſcripſimus, Sed nec Athenienſis.

Per totum penè inſtrumentum.) Epiſtolas Pauli ſignificat, nam ſupra dixit,
Reſurrectionem apoſtolica quoque inſtrumenta teſtantur. Sed ſubſtantiæ 31
ſaporem.) Saporem uocat ſapientiã, mentem, id quod ſapit. Intimandum.)
Vocabulum eius ætatis uulgo frequens. Intimare pro ntimum reddere.

Allegaret.) Aptius eſſet allegarit. Sed ſic ſupra dixit, promulgaret, Item, curaret.

32 Atq; adeo carni aſcribitur,ut p. p m.ſupra d.)Locus eſt deprauatus,legendũ, Atq; adeo carni aſſcribit preſſurarum proprietatẽ,ut & ſupra dicat: Cũ ueniſſemus. Aſſcribit,ſubaudi, Paulus. Nam mox ſequitur, Dehinc ut & animæ daret compaſſionem, ſubaudi Paulus. Quod pro hoc diſſoluetur caro.)In Gorzienſi deeſt,quod.Nos quoq; ſuſtulimus.Infra ſcripſimus,nos cũ ipſis ſimul ra-
33 piemur in nubibus.Item pro lucrifactam morte,lucrifacta morte. Quantos enim.)Quantos pro quot.Sic uulgus loquitur. Vt nihil illis deuoratũ uideri poſſit.)Illis,id eſt de illis,ſic infra.Porrò quia hijs ait deuoratũ iri mortale. His, id eſt de hijs. Et dentes incorruptos perennare.) Perennare pro durabiliter cõſeruari.Aliter dixit Tranquillus,non perennauit,id eſt annum non uixit. Infra pro
34 dicentes ſcripſimus ducentes. Paradiſo non inferis deuerſurus.) Id eſt,aditurus paradiſum non inferos. Deuerſurus pro diuerſurus, in paradiſum non ad inferos.Mox ſcripſimus, Peregrinari nos ab eo dixit,pro ſe deo ab eo dixit.
35 In re ergo aliena ſaluti,ſed niſi.) Scripſimus,aliena ſalutis,id eſt à ſalute. Nam ſic loqui ſolet Tertullianus. Vt ſupra,in alienã culpæ,id eſt à culpa alienã. Item extranea gloriæ,& exules carnis,ibidẽ. Niſi quia cũ ipſo ſicut ipſum ſapit.) Senſus eſt,Suſcitabit & nos cum ipſo,ualet idem quod,ſicut ipſum. Etſi ordine poſthumat.) Poſthumus eſt qui poſt mortem patris naſcitur. Inde uerbum Tertullianus deducit poſthumare,pro ſubſequi uel poſteriorem eſſe. Nam & exinde à benedictione genituræ.) Genitura pro generatiõe,ut ſupra. Cõtemporant fœtu,coætant natu.) Dicimus contemporaneus & coætaneus. Sed Tertullianus hinc uerba format, Comtemporare & coætare. Vide quantũ ſibi permittat. Dũ prior neuter citius eſt: totos nos aut ueteres.) Caſtigauimus & diſtinximus noſtrum ſecuti iudicium,Dum prior neuter. Citius eſt totos nos aut ueteres aut nouos eſſe.Mox ſcripſimus,Alterum eſſe neſcimus. Ex Gorzienſibus adnotamẽtis.Quibus monentibus rurſum ſuppoſuimus pro furatur,furabatur,& mox pro quis optimus,qui ſit optimus.Et infra,Quia & anima delin-
36 quentię inducitur.Item,Delinquentiæ ſcilicet mortui. Videbimus an ratione certa illa pręſumpt.)Senſus eſt, Videbimus an portendit pro portendat,ſcilicet ipſe Paulus,id eſt ſignificet,hoc eos inſtituiſſe,ratiõe certa illa præſumptione. Appoſitiuè, id eſt per rationem quæ fuit illa certa præſumptio putantiũ etiam uicarium baptiſma prodeſſe ad ſpem reſurrectionis. Qui & ipſos baptizari ait.) Qui pro quomodo,ut opinor.nam totus hic locus ualde eſt obſcurus.

Animæ enim non lauatione, ſed reſponſione ſancitur.) Subaudi baptiſmus. Reſponſione. Vt credis: Credo.Renuncias: Renuncio. Quas ſubſtantias quali conditione exhæredauerit.)Sic diſtinguimus & exponimus exhæredauerit,Apoſtoli æquè de antecedentibus diſcere eſt,Aequè diſcere eſt de antecedentibus Apoſtoli.exhæredauerit ſubaudi apoſtolus. Nam etſi ſupra nouiſſimus Adam dicet.) Noſtrum iudicium ſecuti ſcripſimus. Nam & ſupra,nouiſſi-
57 mus Adam dicens,de conſ.ſ.c.n.traxit. Inducere oportebit.) Subaudi in illa. Videlicet carnem & ſanguinem. Regnũ dei hæreditati poſſidere nõ poſſunt.) Videtur legendum poſſidere poſſunt,niſi quæſitiue pronuncies. Id quod Tertulliano familiare. A regno dei extruxit.) Aliquando legendũ putaui extruſit.Sed quid nõ ſuo more dicit hic autor.Mox pro agnoſcendis ſcripſimus agnoſcendus,Subaudi Ieſus.Item ſecuræ eſtote caro & ſanguis. Ex Gorzienſi.
38 Tu quod ſeminas nónne uiuificatur,niſi mortuũ fuerit: Scripſimus noſtrũ ſe-
39 cuti iudiciũ,núm ne uiuif.niſi mort.fuerit. Niſi ut iam nondũ reſurgat.)Scribendum, Niſi ut iam non nudum reſurgat.Infra pro, argumentari conuenit, ex Gorzienſibus annotatiunculis ſuppoſuimus, argumenta committit.

Et ſemi

Et ſeminibus ſequeſtratorium terra eſt.) Sequeſtratoriũ pro loco ubi res ſe- 40
queſtrata ſiue depoſita ſeruatur. Idemq; & conſignat imprimens.) Conſi-
gnat, conteſtatur, ſcripto mandat. Imprimens ueluti ſigillum. Ex qua enim 41
ſubſtantia pariant interſe, Chriſtus & Adam) Scripſimus noſtrum ſecuti iudi-
cium, Aequa enim ſubſtantia pariant. Hic eſt illud pariant uerbum à pari dedu-
ctum pro æqualem eſſe, cuius ſupra meminimus in ſcholijs noſtris.

Proinde plenitudinem ſpiritus.) Subaudi accepit. Mox ſcripſimus, ac tegere.
Infra pro deuorauerat mors, poſſet etiam legi, deuoraueras mors.

Angelicum iam faſtigium induerat.) Faſtigium pro dignitate, & amplitudine, 42
ceu ſupra. Quod naſcimur, nõ quod lædimur, reuiuiſcimus.) Figura græca.

Nec Sarabas.) Locus eſt Danielis tertio: ſeptuaginta habent, Sarabara. Chal- 43
daica uox eſt & ueſtis, κατὰ τὰ σαραβάρα αὐτῶν οὐκ ἠλλοιώθη. Et Sarabara eorum nõ
ſunt demutata. In editione prouulgata Saraballa legitur. Et de iſto cœlo qđ
nobis incumbat.) Aut incubat, quo uerbo ipſe alibi etiam utitur, aut incumbit,
Niſi incumbat eſt ab incumbo. Carni maxime eidem, de officijs quoque.) 44
Conjcio ſic legendum, Ecce autem ut adhuc controuerſiam exaggerant, carni
maximè, id eſt de officijs quoq; membrorum argumentantur. Quò enim
iam, inquiũt, ſpelunca hæc oris.) Quó hoc eſt, ad quem uſum, ad quid. Horatius:
Quò mihi fortuna, ſi non conceditur uti? Sic ſupra dixit Tertullianus, Quò ergo
legimus? Et mox, Quò huiuſmodi membra admittunt, ſubigunt, Id eſt, ad quid
admittunt, id eſt recipiunt ſcilicet cibum. Item, Quò manus ipſæ & pedes. Rur-
ſum, Quò renes cõſcij ſeminũ. Item, Quò totũ corpus, totũ ſcilicet uacaturum?

Et competum ſtomachi.) Compitum ſtomachi uocat conuenticulum & rece
ptaculum, quod in hoc uidelicet conueniat quicquid eduliorum per os immitti-
tur. Sumpta eſt metaphora à uijs competentibus ac conuenientibus, nam hinc
compitum deducunt Grammatici. Educatu.) Pro educatione.

Redactis & recuratis omnibus.) Niſi redigere & redactum ſic uſurparet ſu-
pra, mallem legere repactis. libro primo aduerſus Marcionem, Quàm totum ho
minem redigere in ſalutem. Ad macellum corrodendum.) Continens pro
contento. Ad omnem hiatum & rictum coronandum.) Significat dentes
potius in hoc factos ut hiatum & rictum oris coronent, id eſt circundent & mi-
nus deformem reddant. Supra dixit, ſpelunca hæc oris, & dentium ſtatio.

Deniq; & edentulus. Sed audi & uide.) Sic caſtiga. Deniq; & edentulus es? & 45
audi & uide ut honorem oris, & organum dentium quæras. Q. D. Si fueris eden
tulus, ſenties ad quem uſum facti ſint dentes. Tum enim quæres honeſtamentũ
oris, ut decentius aperiatur atq; diducatur, & dentium inſtrumentũ ad cibos cõ-
minuendos. De fluxura colentur.) Per fluxũ purgentur. Fluxura pro fluxu.

Et concubitus genituram.) Genitura pro generatione.

Neq; generis ſupparatura.) Supparatur genus dum ſobolẽ ſufficimus, ſubſti
tuimusq;. Hoc uerbo in ſequentibus libris aliquoties utitur Tertullianus. Hinc
ſupparatura nomen. Etiam ſexũ à cõgreſſione ſubducimus.) Honeſte uiri &
mulieris commixtionem circumloquitur. Refertur hoc ad illud quod præcedit,
Cæterum & hodie uacare inteſtinis & pudendis licebit. Tam proximus.)
Sic & ſupra in De uera carne domini, Extraneis defixis in illum, tam proximi
aberant. Arcana etiam apocryphorum.) Arcana apocryphorum, blaſphe-
miæ fabulas. Appoſitiuè. Priſtina inſtrumenta.) Priſtina pro priſca. Intelli
git Moſaica prophetica q;.

ANNOT. IN LIBRVM SEQVENTEM FINIS.

UNIVERSIDAD DE MURCIA

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, DE RESVRRECTIONE CARNIS, LIBER.



IDVCIA Christianorum, resurrectio mortuorum: illa credentes sumus, hoc credere ueritas cogit. Veritatem deus aperit. Sed uulgus inridet, existimans nihil superesse post mortẽ. Et tamen defunctis parentant, & quidem impensissimo officio pro moribus eorum, pro temporibus esculentorum: ut quos negat sentire quicquã, etiam desiderare præsumat. At ego magis ridebo uulgus, tunc quoq; cum ipsos defunctos atrocissime exurit, quos postmodum gulosissime nutrit, ijsdem ignibus & promerens & offendens. O pietatem de crudelitate ludentem: sacrificat, an insultat, cum crematis crematis? PLANE cum uulgo interdum & sapientes sententiam iungũt, Nihil esse post mortem, Epicuri schola est. Ait & Seneca, omnia post mortem finiri, etiam ipsam. Satis est aũt, si non minor philosophia Pythagoræ & Empedocli. Sed Platonici immortalem animam è contrario reclamant: imò adhuc proxime etiam in corpora remeabilem affirmant, etsi non in eadem, etsi non in humana tantummodo: ut Euphorbus in Pythagoram, Homerus in pauum recensẽatur. Certe recidiuatum animæ corporalem pronunciauerunt, tolerabilius mutata quàm negata qualitate: pulsata salute, licet non adita ueritate. Ita seculum resurrectionem mortuorum, nec cum errat, ignorat. Si uero & apud deum aliqua secta est Epicureis magis adfinis quàm prophetis, sciemus quid audiant à Christo Sadducæi. Christo enim seruabatur omnia retro occulta nudare, dubitata dirigere, prælibata supplere, prædicata repræsentare: mortuorum certe resurrectionem, nõ modo per semetipsum, uerum etiam in semetipso probare. Nunc autem ad alios Sadducæos præparamur, partiarios sententiæ illorum. Ita dimidiam agnoscunt resurrectionem, solius scilicet animæ, aspernati carnem sicut & ipsum dominum carnis. Nulli deniq; alij salutem corporali substantiæ inuident, quàm alterius diuinitatis hæretici. Ideoq; & Christum aliter disponere coacti ne creator carnis habeatur, in ipsa prius carne eius errauerunt, aut nullius ueritatis contendentes eam secundũ Marcionem, & Basilidem, aut propriæ qualitatis secũdum hæreses Valentini, & Apellen. Atq; ita sequitur, ut salutem eius substantię excludant, cuius Christum negãt, certi illam summo præiudicio resurrectionis instructam, si iam in Christo resurrexerit caro. Propterea & nos uolumen pręmisimus de carne Christi, quo eam & solidam probamus aduersum phantasmatis uanitatem, &

Epicurus
Seneca
Pythagoras
Empedocles
Euphorbus
Homerus
Partiarij Sadducæorum
Liber de carne Christi

UNIVERSIDAD DE MURCIA

tem,& humanam uindicamus aduerſus qualitatis proprietatem, cuius con 2
ditio Chriſtum & hominem & filium hominis inſcripſerit. Carneum enim
atq; corporeum probantes eum, proinde & obducimus, præſcribendo nul/
lum alium credendum deum præter creatorē, dum talem oſtendimus Chri
ſtum, in quo dinoſcitur deus, qualis promittitur à creatore. Obducti de/
hinc de deo, carnis autore, & de Chriſto carnis redemptore, iam & de reſur
rectione carnis reuincentur, congruenter ſcilicet & de deo carnis autore, &
de Chriſto carnis redemptore. Hoc fermè modo dicimus ineundam cum
hæreticis diſceptationem. Nam & ordo ſemper à principalibus deduci ex/ *Ordo à prin/*
poſcit, ut de ipſo prius cõſtet à quo dicatur diſpoſitum eſſe quod quæritur. *cipalibus*
Atq; adeo & hæretici ex conſcientia infirmitatis, nunquam ordinariè tra/
ctant. Certi enim quàm laborent in alterius diuinitatis inſinuatione, aduer
ſus deum mundi omnibus naturaliter notum de teſtimonijs operum, certe
& in ſacramentis priorem, & in prædicationibus manifeſtiorem, ſub obten/
tu quaſi urgentioris cauſæ, id eſt ipſius humanæ ſalutis ante omnia requi/
rendæ, à quæſtionibus reſurrectionis incipiunt: quia durius creditur reſurre
ctio carnis, quàm una diuinitas: atq; ita tractatum uiribus ordinis ſui deſti/
tutum, & ſcrupulis potius oneratum, depreciatibus carnis paulatim alterius
diuinitatis temperant ſenſum, ex ipſa ſpei concuſſione & demutatione. De/
iectus enim unuſquiſq; uel motus de gradu eius ſpei quam ſuſceperat apud
creatorem, facile iam declinatur ad alterius ſpei autorem, etiam ultro ſuſpi/
candum. Per diuerſitatem enim promiſſionum, diuerſitas inſinuatur deo/
rum. Sic multos inretitos uidemus, dum ante de reſurrectione carnis elidun
tur, quàm de unione diuinitatis elidunt. Igitur quantum ad hæreticos, de/
monſtrauimus quo cuneo decurrendum ſit à nobis: & occurſum eſt etiam *Quo cuneo*
ſuo quoq; titulo, de deo quidem unico & Chriſto eius aduerſus Marcionē: *decurrendum*
de carne uero domini, etiam aduerſus quatuor hæreſes: ad hanc maxime *ſit*
quæſtionem præſtruendam, uti nunc de ſola carnis reſurrectione ita dige/
ram, tanquam penes nos incertum, dum ſit quoq; certum penes creatorem.
Nam & multi rudes, & plerique ſua fide dubij & ſimplices: plures quos in/
ſtrui, dirigi, muniri oportebit: quia & hoc latere unio diuinitatis defendetur:
ſicut eñ negata carnis reſurrectione concutitur, ita uindicata conſtabilitur.
Animæ autem ſalutem credo retractatu carere. Omnes enim ferè hæretici
eam quoquo modo uolunt, tamen non negant. Viderit unus aliqui Luca/ *Lucanus hæ*
nus, nec huic quidem ſubſtantiæ parcens, quam ſecũdum Ariſtotelem diſ/ *reticus*
ſoluens, aliud quid pro ea ſubijcit. quiddam reſurrecturum, neq; anima, ne/ 3
que caro, id eſt non homo, ſed urſus, forſitan tanquam Lucanus. Habet &
iſte à nobis pleniſſimum de omni ſtatu animæ ſtilum, quam in primis im/
mortalem tuentes, ſolius carnis & defectionem cũ maxime adſerimus, re/
dactis in ordinarium materiæ corpus, ſiqua & alibi pro cauſarũ incurſione

præſtri

præſtricta diſtulimus. Nam ut quædam prælibari ſolenne eſt, ita & differri neceſſe eſt, dum modo & prælibata ſuppleantur ſuo corpore, & dilata reddantur ſuo nomine. Eſt quidem & communibus ſenſibus ſapere in dei rebus, ſed in teſtimonium ueri, non in adiutorium falſi: quod ſit ſecundum diuinam, non contra diuinam diſpoſitionem. Quædam enim & natura nota ſunt, ut immortalitas animæ penes plureis, ut deus noſter penes omneis. Vtar ergo & ſententia Platonis alicuius pronunciantis: Omnis anima immortalis. Vtar & conſcientia populi, conteſtantis deum deorum: utar & reliquis cõmunibus ſenſibus, qui deum iudicem prædicant: Deus uidet, &, Deo
Seneca commendo. At cum aiunt, Mortuum quod mortuum: &, Viuendum uiuis: &, Poſt mortem omnia finiuntur, etiam ipſa: tunc meminero & cor uulgi cinerem à deo deputatum, & ipſam ſapientiam ſeculi, ſtulticiam pronunciatam. Tunc ſi hæreticus ad uulgi uitia, uel ſeculi ingenia cõfugerit, diſcede dicam ab ethnico hæretice: & ſi unum eſtis oẽs, qui deum fingitis: dum hoc tamen in Chriſti nomine facis, dum Chriſtianus tibi uideris alius ab ethnico, redde illi ſuos ſenſus, quia nec ille de tuis inſtruitur. Quid cæco duci inniteris, ſi uides? quid ueſtiris à nudo, ſi Chriſtum induiſti? Quid alieno uteris clypeo, ſi ab Apoſtolo armatus es. Ille potius à te diſcat carnis reſurrectionem confiteri, quàm tu ab illo diffiteri. Quia ſi & à Chriſtianis negari eam oporteret, ſufficeret illis de ſua ſcientia, nõ de uulgi ignorantia inſtrui. Adeo non erit Chriſtianus, qui eam negabit, quam confitentur Chriſtiani: & his argumentis negabit, quibus utitur non Chriſtianus. Aufer deniq; hæreticis quæcunq; ethnici ſapiũt, ut de ſcripturis ſolis quæſtiones ſuas ſiſtant: & ſta-
Cõpaſſio ſententiarum. re non poterunt. Communes enim ſenſus ſimplicitas ipſa commendat, & compaſſio ſententiarum, & familiaritas opinionum: eoq; fideliores exiſtimantur, quia nuda & aperta & omnibus nota definiunt. Ratio autem diuina in medulla eſt, non in ſuperficie, & plerunq; æmula manifeſtis. Itaq; hæretici inde ſtatim incipiunt, & inde præſtruunt, dehinc interſtruunt, unde ſciunt facile capi mentes, de communione fauorabili ſenſuum. An aliud prius uel magis audias ab hæretico quàm ab ethnico: & non protinus, & nõ ubique cõuicium carnis, in originem, in materiam, in caſum, in omnem exitum eius, immundæ à primordio ex fecibus terræ, immundioris deinceps ex ſeminis ſui limo, friuolę, infirmę, criminoſæ, oneroſæ, moleſtæ: &, poſt totum
Ignobilitatis elogium ignobilitatis elogium, caducæ in originem terrã, & cadaueris nomen: & de iſto quoq; nomine perituræ in nullum inde iam nomen, in omnis iam uo-
4 cabuli mortem. Hanc ne ergo uir ſapiens & uiſui & contactui & recordatui tuo ereptam perſuadere, q; ſe receptura quandoq; ſit in integrum de corrupto, in ſolidum de caſſo, in plenum de inanito, in aliquid omnino de nihilo, & utiq; redhibentibus eam ignibus & undis, & aluis ferarum, & rumis alitum, & lactibus piſcium, & ipſorum propria gula? Adeóne autem eadẽ ſperabitur

rabitur quæ intercidit? & claudus, & luscus, cæcus, & leprosus, & paralyticus reuertantur, ut rediisse non libeat ad pristinum? an integri? ut iterũ talia pati timeant. Quid tum de consequentijs carnis? Rursus ne omnia necessaria illi, & in primis pabula atq; potacula, & pulmonibus natandum, & intestinis æstuandum, & pudendis non pudendũ, & omnibus membris laborandum? Rursus ulcera, & uulnera, & febris, & mors redoptanda? Nimirũ hæc erũt uota carnis recuperandæ, iterum cupere de ea euadere. Et nos quidem hæc aliquanto honestius pro stili pudore. Cæterum quantum etiam spurciloquio liceat, illorum in congressibus experiri, tam ethnicorum quàm hæreticorum. Igitur quoniam & rudes quiq; de communibus adhuc sensibus sapiunt, & dubij & simplices per eosdem sensus denuo inquietãtur, & ubiq; in primis iste in nos aries temperatur, quo carnis cõditio quassatur, necessariò & à nobis carnis primum conditio munietur, uituperatione, laudatione depulsa. Ita nos rhetoricari quoq; prouocant hæretici, sicut etiam philosophari. Futile & friuolum istud corpusculum quod malum deniq; appellare non horrent, & si angelorum fuisset operatio, ut Menandro & Marco placet: & si ignei alicuius exstructio æquè angeli, ut Apelles docet, sufficeret ad autoritatem carnis, secundæ diuinitatis patrocinium. angelos post deũ nouimus. Iam nunc quisquis ille summus deus hæretici cuiusq; est, non immerito ab ipso quoq; deducerem carnis dignitatem, à quo uoluntas producendæ ei adfuisset. Vtiq; enim prohibuisset fieri, quã fieri scisset, si fieri noluisset. Ita & secundum illos æque caro, dei res. Nihil operis, nõ est eius, qui passus est esse. Bene autem quod & plures & duriores quoq; doctrinæ, totam hominis figulationẽ deo nostro cedunt. Quantus hic sit, satis nosti, qui unicum credidisti. Incipiat iam tibi caro placere, cuius artifex tantus est. Sed & mundus, inquis, dei opus est, & tamen præterit habitus huius mundi, Apostolo quoq; autore: nec idcirco restitutio mundi præiudicatur, quia dei opus est. & utiq; si uniuersitas inreformabilis post decessum, quid portio planè, si portio uniuersitati adæquatur? Ad distantiam enim prouocamus: Primo quidem, quod omnia sermone dei facta sunt, & sine illo nihil. Caro autem & sermone dei constitit propter formam, ne quid sine sermone. Faciamus enim hominem, ante præmisit: Et amplius, manu propter prælationem, ne uniuersitati compararetur. Et finxit deus hominem, inquit, Magnæ sine dubio differentiæ ratio pro conditione scilicet rerũ. Minora enim, quæ fiebãt, eo, cui fiebant. Siquidem homini fiebant, cui mox à deo addicta sunt. Merito igitur ut famula, iussu & imperio, & sola uocali potestate uniuersa processerant. Contra, homo ut dominus eorum, in hoc ab ipso deo extructus est, ut dominus esse possit, dum fit à domino. Hominem autem, memento carnem proprie dici, quæ prior uocabulum hominis occupauit: & finxit deus hominem, limum de terra. Iam homo, qui adhuc limus. Et insufflauit in faciem

Potacula

Spurciloquiũ

Iste in nos aries temperatur

Figulatio.

Obiectio

Caro, homo

diem eius,flatum uitæ:& factus est homo,id est,limus,in animam uiuã. Et posuit deus hominem,quem finxit in paradiso. Adeo homo figmentum primo,dehinc totus.Hoc eò commendarim,uti quicquid omnino homini à deo prospectum atq; promissum est,non soli animæ,uerum & carni scias debitum:ut si non ex consortio generis, certe uel ex priuilegio nominis.Persequar itaq; propositum,si tamẽ tantum possim carni uindicare, quantum contulit ille,qui eam fecit,iam tunc gloriantem quod illa pusillitas, limus,in manus dei,quæcunq; sunt,peruenit,satis beatus & si solummodo cõtactus. Quid enim si nullo amplius opere,statim figmentum de contactu dei constitisset? Adeo magna res agebatur,qua ista materia extruebatur. Itaq; totiens honoratur,quotiens manus dei patitur,dum tangitur, dũ decerpitur, dum deducitur,dum effingitur.Recogita totũ illi deum occupatum ac dedicatum,manu,sensu,opere, consilio,sapientia,prouidentia, & ipsa in primis adfectione,quæ liniamenta decebat. Quodcunq; enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus,q̃d & limus & caro. Sermo,quod & terra tunc.Sic enim præfatio patris ad filium: Faciamus hominẽ ad imaginem & similitudinem nostram.Et fecit hominem deus. id utiq; quod finxit.ad imaginem dei fecit illum,scilicet Christi. Et sermo enim deus, qui in effigie dei constitutus,non rapinã existimauit pariari deo.Ita limus ille iam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantum dei opus erat, sed & pignus.Quo nunc facit,ad infuscandam originem carnis, nomen terræ uentilare,ut sordentis,ut iacentis elementi?cũ & si alia materia excudendo homini competisset,artificis fastigium recogitari oporteret, qui illam & eligendo dignã iudicasset,& tractando fecisset.Phidiæ manus Iouẽ Olympium ex ebore molitur,& adoratur,nec iam bestiæ & quidem insulsissimæ dens est, & summum seculi numen elephantus. Sed quia Phidias tantus, deus uiuus,deus uerus,quamcunq; materiæ uilitatem,non de sua operatione purgasset,& ab omi infirmitate sanasset? An hoc supererit,ut honestius homo deum,quàm hominem deus finxerit? Nunc & si scandalum limus, alia iam res est. Carnem iam tenco, non terram:licet & caro audiat, Terra es,& in terram ibis.Origo recensetur,non substantia reuocatur. Datum est esse aliquid origine generosius,& demutatione felicius. Nam & aurum terra,quia de terra:hactenus tamen terra: ex quo aurum, longe alia materia, splendidior atq; nobilior de obsolentiore matrice.Ita & deo licuit carnis aurum,de limi,quibus putas, sordibus excusato censu eliquasse. Sed dilutior uideatur autoritas carnis,quia non & ipsam proprie manus diuina tractauit,sicuti limum.Quandò in hoc tractauit limum, ut postmodum caro fieret ex limo,carnis utiq; negocium gessit.Sed adhuc uelim discas quomodo & quando caro floruerit ex limo.Neq; enim,ut quidam uolũt,illæ pelliceæ tunicæ,quas Adam & Eua paradisum exuti induerunt,ipsæ erunt carnis ex

limo

limo reformatio, cum aliquanto prius & Adam ſubſtantiæ ſuæ traducem in fœminę iam carne recognouerit: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro ex carne mea: Et ipſa delibatio maſculi in fœminam carne ſuppleta ſit, limo opinor ſupplenda, ſi Adã adhuc limus. Obliteratus igitur & deuoratus eſt limus in carnem. Quando? cum factus eſt homo in animam uiuam, de dei flatu, uaporeo ſcilicet & idoneo torrere quodammodo limũ in aliam qualitatem, quaſi in teſtam, ita in carnem. Sic & figulo licet argillam temperato ignis adflatu in materiam robuſtiorẽ recorporare, & aliam ex alia ſtringere ſpeciem, aptiorem priſtina, & ſui iam generis ac nominis. Nam etſi ſcriptum eſt, nunquid argilla dicet figulo, id eſt homo deo? & ſi Apoſtolus in teſtaceis ait uaſculis, tamen & argilla homo, quia limus ante: & teſta caro, quia ex limo per adflatus diuini uaporem, quã poſtea pelliceæ tunicæ, id eſt cutes ſuperductæ ueſtierunt. Vſq; adeo, ſi detraxeris cutem, nudaueris carnẽ: Ita quod hodie ſpolium efficitur, ſi detrahatur, hoc fuit indumentum, cum ſuperſtruebatur. Hinc & Apoſtolus circunciſionem, deſpoliationem carnis appellans, tunicam cutem adfirmauit. Hæc cum ita ſint, habes & limum de manu dei glorioſum, & carnem de adflatu dei glorioſiorem, quo pariter caro & limi rudimenta depoſuit, & animæ ornamenta ſuſcepit. Nõ es diligentior deo, uti tu quidem Scythicas & Indicas gemmas, & rubentis maris grana candentia, non plumbo, non ære, nõ ferro, ne argento quoq; oblaquees, ſed electiſſimo & inſuper operoſiſſimo deſcrobes auro: & unguẽtis precioſiſſimis quibuſq;, uaſculorum prius congruentiam cures: proinde perfectè ferrugineis gladijs uaginarum adæques dignitatem: Deus uero animæ ſuæ umbram, ſpiritus ſui auram, oris ſui operam uiliſſimo alicui commiſerit capulo, & indigne collocando utiq; damnauerit. Collocauit autem an potius inſeruit & immiſcuit carni, tanta quidem concretione, ut incertũ haberi poſſit, utrúm ne caro animam, an carnem anima circumferat: utrúm ne animæ caro, an anima pareat carni: ſed & magis animam inuehi atq; dominari credendum eſt, ut magis deo proximam. Hoc quoq; ad gloriam carnis exuberat, quod proximam deo & continet & ipſius dominationis cõpotem pręſtat. Quem enim naturæ uſum, quem mundi fructum, quem elementorum ſaporem, non per carnem anima depaſcitur? quid niſi per quã omni inſtrumento ſenſuum fulciatur, uiſu, auditu, guſtu, odoratu, contactu: per quam diuina poteſtate reſperſa eſt, nihil non ſermone perficiens, uel tacitè præmiſſo. Et ſermo enim de organo carnis eſt, Artes per carnem. Studia, ingenia, per carnem. Opera, negocia, officia, per carnem: atq; adeo totum uiuere animæ carnis eſt, ut non uiuere animæ nil aliud ſit, quàm à carne diuertere. Sic etiam ipſum mori carnis eſt, cuius & uiuere. Porrò ſi uniuerſa per carnẽ ſubiacent animæ, carni quoq; ſubiaceant per quod utaris neceſſe eſt. Ita caro dum miniſtra & famula animæ deputatur, conſors & cohæres inuenitur: ſi

Recorporare

Tunica cutis

Rudimenta limi

6

7

temporalium,cur nõ & æternorum? Et hęc quidem uelut de publica forma humanæ conditionis ſuffragia carni procurauerim. Videamus nũc de propria etiã Chriſtiani nominis forma,quanta huic ſubſtantiæ friuolæ ac ſordidæ,apud deũ prętogatiua ſit:& ſi ſufficeret illi quod nulla omnino anima ſalutem poſſit adipiſci,niſi dum eſt in carne,crediderit: adeo caro ſalutis eſt cardo. De qua cũ anima deo alligitur,ipſa eſt quę efficit,ut anima alligi poſſit. Sed & caro abluitur,ut anima emaculetur. Caro ungitur,ut anima cõſecretur. Caro ſignatur,ut & anima muniatur. Caro manus impoſitione adumbratur,ut & anima ſpiritu illuminetur. Caro corpore & ſanguine Chriſti ueſcitur,ut & anima de deo ſaginetur. Non poſſunt ergo ſeparari in mercede,quas opera coniungit. Nam & ſacrificia deo grata, conflictationes dico animæ,ieiunia,& ſeras & aridas eſcas,& adpendices huius officij ſordes. Caro de proprio ſuo incommodo inſtauratur. Virginitas quoque & uiduitas, & modeſta in occulto matrimonij diſſimulatio, & una noticia eius,de bonis carnis deo adolentur. Age iam quid de ea ſentis,cum pro nominis fide in medium extracta,& odio publico expoſita decertat, cũ in carceribus maceratur,teterrimo lucis exilio,penuria mundi,ſqualore,pædore,cõtumelia uictus, ne ſomno quidem libera, quippe ipſis etiam cubilibus uincta, ipſisq; ſtramentis lancinata,cũ iam & in luce omni tormentorum machinatione laniatur,cum deniq; ſupplicijs erogatur eniſa reddere Chriſto uicem moriendo pro ipſo,& quidem per eandem crucẽ ſæpe,nedum per atrociora quoq; ingenia pœnarum. Næ illa beatiſſima & glorioſiſſima, quę poteſt apud Chriſtum dominum parêre debito tanto,ut hoc ſolũ debeat ei, quod ei debere deſierit:hoc magis uincta quòd abſoluta. Igitur,ut retexã, quam deus manibus ſuis ad imaginem dei ſtruxit,quam de ſuo adflatu ad ſimilitudinem ſuæ uiuacitatis animauit: quã incolatui,fructui, dominatui totius ſuæ operationis præpoſuit:quam ſacramentis ſuis diſciplinisq; ueſtiuit,cuius munditias amat,cuius caſtigationes probat,cuius paſſiones ſibi adpretiat,hæccine non reſurget totiens dei? Abſit ut deus manuum ſuarum operam,ingenij ſui curã,adflatus ſui uaginam,molitionis ſuæ reginam,liberalitatis ſuæ hæredem,religionis ſuæ ſacerdotem,teſtimonij ſui militem,Chriſti ſui ſororem, in æternũ deſtituat interitum. Bonum deũ nouimus: ſolum
3 optimum à Chriſto eius addiſcimus,qui dilectionem mandans poſt ſuam in proximũ, faciet & ipſe quod præcepit:diliget carnẽ tot modis ſibi proximam:& ſi infirmã,ſed uirtus in infirmitate perficitur:& ſi imbecillã,ſed medicum nõ deſiderant niſi male habentes:& ſi inhoneſtam,ſed inhoneſtioribus maiorem circumdamus honorem:& ſi perditã: ſed ego, inquit,ueni,ut quod perijt,ſaluũ faciam:& ſi peccatricem:ſed malo mihi,inquit,ſalutẽ peccatoris,quàm mortem:& ſi damnatam:ſed ego, inquit,percutiã, & ſanabo. Quid ea exprobras carni,quę deũ expectant,quę in deũ ſperant,honoran

tur ab

Forma Chri nomi- is forma

Cardo ſalutis

Ablui Vngi Signari Manus impoſitio Euchariſtia Sacrificia deo grata Ieiunia Neglectus corporis Nomen MARTYRIVM

Ingenia pœnarum

tur ab illo,quibus ſubuenit? Auſim dicere,ſi hæc carni non accidiſſent,beni/gnitas,gratia,miſericordia, omnis uis dei benefica uacuiſſet. Tenes ſcriptu/ras,quibus caro infuſcatur? tene etiam quibus inluſtratur. Legis cum quan/do deprimitur? adige oculos & cum quando releuatur. Omnis caro fœnũ: non hoc ſolum pronũciauit Eſaias,ſed &,Omnis caro uidebit ſalutare dei. Notatur in Geneſi,dicens: Non manebit ſpiritus meus in hominibus iſtis, quia caro ſunt. Sed & auditur per Iohelem: Effundam de ſpiritu meo in o/mnem carnem. Apoſtolum quoq;,ne de uno ſtilo noris, quo carnem ple/runq; compungit. Nam etſi negat habitare boni quicquam in carne ſua: & ſi adfirmat eos qui in carne ſint deo placere non poſſe: quia cõcupiſcat ad/uerſus ſpiritum: & ſi qua alia ita ponit, ut carnis non tamen ſubſtantia,ſed actus inhonoretur: dicemus quidem alibi nihil proprie carni exprobrari oportere,niſi in animæ ſuggillationem,quæ carnem miniſterio ſibi ſubigit. Verum interim in illis literis Paulus eſt,cũ ſtigmata Chriſti in corpore ſuo portat: cum corpus noſtrum,ut dei templum uitiari uetat: cum corpora no/ſtra,membra Chriſti facit: cum monet tollere & magnificare deum in cor/pore noſtro. Itaq; ſi ignominiæ carnis reſurrectionem eius expellunt,cur nõ dignitates pótius inducent? Quoniam deo magis congruit in ſalutem redi/gere,quod reprobarit interdum,quàm in perditionem dedere, quod etiam probauit. Hucuſq; de præconio carnis aduerſus inimicos, & nihilominus amiciſſimos eius. Nemo enim tam carnaliter uiuit,quàm qui negant carnis reſurrectionem. Negantes enim pœnam,deſpiciunt & diſciplinam. De qui/bus luculenter & paracletus per prophetidem Priſcam, Carnes ſunt, & car/nem oderunt. Quam ſi tanta autoritas munit,quanta illi ad meritum ſalutis patrocinari poſſit,nunquid etiam dei ipſius potentiam,& poteſtatem, & li/centiam recẽſere debemus,an tantus ſit qui ualeat dilapſum & deuoratum, & quibuſcunq; modis ereptum tabernaculum carnis reædificare,atq; reſti/tuere? an & aliqua nobis exẽpla huius ſui iuris in publico naturæ promul/garit, ne qui forte adhuc ſciant deum noſſe,qui non alia lege credendus eſt, quàm ut omnia poſſe credatur? Planè apud philoſophos habes, qui mun/dum hunc innatum infectumq; defendant: ſed multo melius quod omnes ferè hæreſes natum & factum mundum annuentes, conditionem deo no/ſtro adſcribunt. Igitur confide illũ totum hoc ex nihilo protuliſſe, & deum noſti fidendo,quod tantum deus ualeat. Nam & quidam infirmiores,hoc prius credere de materia potius ſubiacenti uolunt ab illo uniuerſitatem de/dicatam ſecundum philoſophos. Porrò etſi ita in uero haberetur,cum tam longe alias ſubſtantias longeq; alias ſpecies ex reformatione materiæ dice retur protuliſſe,quàm fuiſſet ipſa materia,nõ minus defenderem ex nihilo eum protuliſſe,ſi ea protulerat,quæ omnino non fuerant. Quo enim inter/eſt ex nihilo quid proferri,an ex aliquo, dum quod non fuit,fiat? quando

Priſca pro/phetis

Conditionem appellat creationem hic & in ſequentibus

etiam nõ fuiſſe,nihil ſit fuiſſe.Sic & fuiſſe è cõtrario, nõ nihil eſt fuiſſe. Nũc
9 etſi intereſt,tamen utrunq; mihi adplaudit.Siue enim ex nihilo deus moli/
tus eſt cuncta,poterit & carnem in nihilum productã exprimere de nihilo.
Siue de materia moderatus eſt alia,poterit & carnem quocũq; dehauſtam
euocare de alio.Et utiq; idoneus eſt reficere,qui fecit: quanto plus eſt feciſ/
ſe,quàm refeciſſe:initium dediſſe, quàm reddidiſſe. Ita reſtitutionem car/
nis,faciliorem credas inſtitutione.Aſpice nunc ad ipſa quoq; exempla diui/
Dies næ poteſtatis.Dies moritur in noctem,& tenebris uſquequaq; ſepelitur.Fu
neſtatur mundi honor,omnis ſubſtãtia denigratur.Sordent,ſilent,ſtupent
Vbiq; iuſti/ cuncta:ubique iuſtitium eſt,quies rerum. Ita lux amiſſa lugetur. Et tamen
tium eſt rurſus cum ſuo cultu,cum dote,cum ſole, eadem & integra & tota uniuerſo
orbi reuiuiſcit,interficiẽs mortem ſuam noctem, reſcindens ſepulturã ſuam
tenebras,hæres ſibimet exiſtens,donec & nox reuiuiſcat cum ſuo & illa ſug
geſtu. Redaccenduntur enim & ſtellarum radij, quos matutina ſuggeſtio
extinxerat. Reducuntur & ſyderum abſentiæ, quas temporalis diſtinctio
exemerat. Redornantur & ſpecula lunæ,quæ menſtruus numerus adtriue/
rat.Reuoluuntur hyemes & æſtates,& uerna,& autumna,cum ſuis uiribus,
moribus,fructibus. Quippe etiam terræ de cœlo diſciplina eſt,arbores uc/
ſtire poſt ſpolia,flores denuo colorare, herbas rurſus imponere, exhibere
eadem quæ abſumpta ſint ſemina:nec prius exhibere,quàm abſumpta.Mi
ra ratio: de fraudatrice ſeruatrix:ut reddat,intercipit:ut cuſtodiat,perdit:ut
integret,uitiat:ut etiam ampliet,prius decoquit. Siquidem uberiora & cul/
tiora reſtituit,quàm exterminauit.Re uera fœnore interitu,& iniuria uſura,
& lucro damno,ſemel dixerim uniuerſa conditio recidiua eſt.Quodcunque
conueneris,fuit.quodcũq; amiſeris,nihil non iterum eſt. Omnia in ſtatum
redeunt,cum abſceſſerint.Ideo finiuntur,ut fiant. Nihil deperit,niſi in ſalu/
tem.Totus igitur hic ordo reuolubilis rerũ,teſtatio eſt reſurrectionis mor/
tuorum. Operibus eam præſcripſit deus antè,quàm literis: uiribus prædica
uit ante,quàm uocibus.Præmiſit tibi naturam magiſtram, ſubmiſſurus &
prophetiam:quo facilius credas prophetiæ, diſcipulus naturæ: quo ſtatim
admittas cum audieris, quod ubiq; iam uideris: nec dubites deũ carnis etiã
reſuſcitatorem,qui omnium noris reſtitutorem.Et utiq; ſi oñia homini re/
ſurgunt,cui procurata ſunt,porrò non homini niſi & carni,quale eſt ut ipſa
depereat in totum,propter quam & cui nihil deperit? Si parum uniuerſitas
reſurrectionem figurat,ſi nihil tale cõditio ſignat,quia ſingula eius nõ tam
mori quàm deſinere dicantur, nec redanimari,ſed reformari exiſtimentur,
accipe pleniſſimum atq; firmiſſimum huius ſpei ſpecimen.Siquidẽ anima/
lis eſt res & uitæ obnoxia & morti,illum dico alitem orientis peculiarẽ, de
Phœnix ſingularitate famoſum,de poſteritate monſtruoſum:qui ſemetipſum liben
10 ter funerãs renouat,natali fine decedens atq; ſuccedens iterũ Phœnix. Vbi

iam

iam nemo iterum ipſe:qui non iam,alius idem. Quid expreſſius atq; ſignatius in hanc cauſam,aut cui alĩ rei tale documentum? Deus etiam ſcripturis ſuis:Et florebis enim,inquit,uelut phœnix,id eſt de morte,de funere:uti credas,de ignibus quoq; ſubſtantiam corporis exigi poſſe. Multis paſſeribus anteſtare nos dominus pronunciauit. Si non & phœnicibus, nihil magnũ. Sed homines ſemel interibunt,auibus Arabiæ de reſurrectione ſecuris. Talia interim diuinarũ uirium liniamenta, non minus parabolis operato deo quàm locuto,ueniamus & ad ipſa edicta atq; decreta eius, quo cum maxime diuiſionem iſtam materiæ ordinamus. Exorſi enim ſumus ab autoritate carnis,an ea ſit cui dilapſæ ſalus competat: dehinc proſecuti de potentia dei,an tanta ſit quæ ſalutẽ conferre dilapſæ rei ſoleat: Nunc ſi probauimus utrunq;,uelim etiam de cauſa requiras:an ſit aliqua tam digna quæ reſurrectionem carnis neceſſariam,& rationi certe omni modo debitam uindicet: quia ſubeſt dicere, etſi caro capax reſtitui, etſi diuinitas idonea reſtituendi, & ſic cauſa reſtitutionis præeſſe debebit. Accipe igitur & cauſam, qui apud deum diſcis tam optimum,quàm & iuſtum: de ſuo optimum,de noſtro iuſtum. Niſi enim homo deliquiſſet,optimum ſolummodo deum noſſet,ex naturæ proprietate. at nunc etiam iuſtum eum patitur,ex cauſæ neceſſitate: tamen & hoc ipſo,optimum deum & iuſtum. Et bono enim iuuando,& malo puniendo, iuſtitiam exhibens, utranq; ſententiam bono præſtat: hinc uindicans iſtud,inde remunerans illud. Sed cum Marcione plenius diſces, an hoc ſit dei totum. Interim talis eſt merito noſter iudex, quia dominus. Merito dominus, quia autor. Merito autor,quia deus. Hinc & ille,neſcio quis,hæreticorum: Merito non iudex,non enim deus. Merito non dominus:non enim autor. Neſcio iam ſi deus, qui nec autor quod deus,nec dominus,autor. Igitur ſi deo & domino & non autori, congruentiſſimum eſt, iudicium in hominem deſtinare,de hoc ipſo an dominũ & autorem ſuum agnoſcere & obſeruare curaret: an non itaq; iudicium reſurrectio expunget? Hæc erit tota cauſa, imò neceſſitas reſurrectionis,congruentiſſima ſilicet deo deſtinatio iudicij: de cuius diſpoſitione diſpicias,an utrique ſubſtantiæ humanæ dijudicandæ, cenſura diuina præſideat, tam animæ quàm & carni. Quod enim congruet iudicari, hoc competet etiam reſuſcitari. Dicimus plenum primo perfectumq; credendum iudicium dei,ut ultimum iam atque exinde perpetuum. Vt ſic quoq; iuſtum,dum non in aliquo minus. Vt ſic quoq; deo dignum,dum pro tanta eius patientia,plenum atq; perfectum: Itaq; plenitudinem perfectionemq; iudicij, non niſi de totius hominis repræſentatione cõſtare: Totũ porrò hominem ex utriuſq; ſubſtantiæ cõgregatione parêre:idcircoq; in utraq; exhibendũ, quem totũ oporteat iudicari:qui niſi totus,utiq; non uixerit: Qualis ergo uixerit,talẽ iudicari:quia de eo q̃d uixerit,habeat iudicari. Vita eſt ẽm cauſa iudicij,per tot ſubſtãtias

Liniamenta diuinarum uirium

diſpungenda,per quot & functa eſt.Age iam ſcindāt aduerſarij noſtri carnis animæq; contextum,prius in uitæ adminiſtratione,ut ita audeant ſcindere illud etiam in uitæ remuneratione.Negent operarum ſocietatē,ut merito poſſint etiam mercedem negare. Non ſit particeps in ſententia caro,ſi non fuerit & in cauſa.Sola anima reuocetur,ſi ſola decedit.At enim nō magis ſola decedit, quàm ſola decucurrit.Illud unde decedit uitam hanc dico. Adeo autem non ſolum anima tranſigit uitam,ut nec cogitatus licet ſolos, licet non ad adfectum per carnem deductos auferamus à collegio carnis. Siquidem in carne, & cum carne,& per carnem agitur ab anima, quod agitur in corde.Hanc deniq; carnis ſpeciem,arcem animę etiam dominus in ſugillationem cogitatuum taxat:Quid cogitatis in cordibus ueſtris nequam? Et,Qui conſpexerit ad concupiſcendum,iam adulterauit in corde. Adeo & ſine opere & ſine effectu,cogitatus,carnis eſt actus.Sed etſi in cerebro, uel in medio ſuperciliorum diſcrimine,uel ubi philoſophis placet,principalitas ſenſuum conſecrata eſt,quod egemonicon appellatur, caro erit omne animæ cogitatorium.Nunquàm anima ſine carne eſt. Nihil non cum illa agit, ſine qua nō eſt. Quære adhuc an cogitatus quoq; per carnem adminiſtrantur, qui per carnem dinoſcuntur extrinſecus. Volutet aliquid anima, uultus operatur indicium:facies intentionum omniū ſpeculum eſt, Negent factorum ſocietatem, cui negare non poſſunt cogitatorum.Et illi quidem delinquentias carnis enumerāt:ergo peccatrix tenebitur ſupplicio.Nos uero etiā uirtutes carnis opponimus: ergo & bene operata tenebitur præmio. Etſi anima eſt,quæ agit & impellit in omnia,carnis obſequium eſt:deum non licet aut iniuſtum iudicem credi,aut inertem:iniuſtum,ſi ſociam bonorū operum à præmijs arceat:inertem,ſi ſociam malorum à ſupplicijs ſecernat:cum humana cenſura eo perfectior habeatur, quo etiam miniſtros facti cuiuſq; depoſcit,nec parcens,nec inuidens illis,quo minus cum autoribus aut pœnæ,aut gratiæ communicent fructum.Sed cum imperiū animę,obſequium
12 carni diſtribuimus,proſpiciendū eſt,ne & ex hoc alia argumentatione ſubuertant,ut uelint carnem ſic in officio animæ collocare,nō quaſi miniſtram, ne& ſociam cogantur agnoſcere. Dicent enim miniſtros & ſocios habere arbitrium miniſtrandi atq; ſociandi,& poteſtatē ſuæ uoluntatis in utrunq;, homines ſcilicet & ipſos:idcirco cum autoribus merita cōmunicare, quibus operam ſponte accommodarint.Carnem autem nihil ſapientem,nihil ſentientem per ſemetipſam,non uelle,non nolle de ſuo habentem, uice potius uaſculi apparere animæ,ut inſtrumentum, non ut miniſteriū. Itaq; animæ ſolius iudicium præſidere,qualiter uſa ſit uaſculo carnis:uaſculū uero ipſum nō eſſe ſententiæ obnoxium:quia nec calicem damnari,ſiquis eum ueneno temperarit:nec gladium ad beſtias pronunciari,ſiquis eo latrocinium fuerit operatus.Iam ergo innocens caro,ex ea parte qua nō reputabuntur illi operæ malæ

Τὸ ἡγεμονικόν. Cogitatoriū

Delinquentiæ

ræ malæ:& nihil prohibet innocentiæ nomine ſaluam eam fieri. Licet enim nec bona opera reputentur illi, ſicut nec mala: diuinæ tamen benignitati magis competit innocentes liberare: beneficus em̃ eſt atq; optimus. debet aũt etiã quod non deberetur offerre. Et tamen calicem nõ dico uenenarium, in quẽ mors aliqua ructaret, ſed fictricis, uel archigalli, uel gladiatoris, aut carnificis ſpiritu infectum, quæro an minus damnes, quàm oſcula ipſorum? noſtris quoq; ſordibus nubilum, uel non pro animo temperatum, elidere ſolemus, quo magis puero iraſcamur. gladiúmue latrocinijs ebrium quis non à domo tota, nedum à cubiculo, nedum à capitis ſui officio relegabit: præſumens ſcilicet, nihil aliud ſe quàm inludia animarum ſomniaturum, urgentiũ & inquietantium ſanguinis ſui concubinum? At enim & calix bene ſibi conſcius, & de diligentia miniſterij commendatus, coronis quoq; potatoris ſui inorabitur, aut aſpergine florum honorabitur: & gladius bene de bello cruentus, & melior homicida, laudem ſuam conſecratione penſabit. Eſt ne ergo & in uaſcula & in inſtrumenta ſententiam figere, ut dominorum & autorum meritis & ipſa communicent? Vt huic quoq; argumentationi ſatisfecerim, licet ab exemplo uacet diuerſitas rerum, Omne em̃ uas uel inſtrumentum aliunde in uſus uenit, extranea omnino materia à ſubſtantia hominis. Caro autem ab exordio uteri conſita, conformata, congenita animæ, etiam in omni operatione miſcetur illi. Nam & ſi uas uocatur apud Apoſtolum, quam iubet in honore tractare, eadem tamen ab eodem homo appellatur exterior: ille ſcilicet limus, qui prior titulo hominis inciſus eſt: non calicis, aut gladij, aut uaſculi ullius. Vas enim capacitatis nomine dicta eſt, qua animã capit & continet: homo uero de communione naturæ, quæ eam non inſtrumentum in operationibus præſtat, ſed miniſterium. Ita & miniſteriũ tenebitur iudicio, ut de ſuo nihil ſapiat: quia portio eſt eius, quæ ſapit, non ſupellex. Hoc & Apoſtolus ſciens nihil carnem agere per ſemetipſam, quod non animæ deputetur, nihilominus peccatricem iudicat carnem: ne eo quod ab anima uideatur impelli, iudicio liberata credatur. Sic & cum aliquas laudis operas carni indicit, glorificate, tollite deum in corpore ueſtro, certus & hos conatus ab anima agi, idcirco tamen & carni eos mandat, quia & illi fructũ repromittunt. Alioquin nec exprobratio competiſſet in alienam culpæ, nec adhortatio in extraneam gloriæ: & exprobratio enim, & exhortatio uacarent erga carnem, ſi uacaret & merces, quæ in reſurrectione captatur. Simplicior quiſq; fautor ſententiæ noſtræ putabit, carnem etiam idcirco repræſentandam eſſe iudicio: quia aliter anima nõ capiat paſſionem tormenti ſeu refrigerij, utpote incorporalis: hoc enim uulgus exiſtimat. Nos autem animam corporalem, & hic profitemur, & in ſuo uolumine probamus, habentem proprium genus ſubſtantiæ, ſoliditatis, per quam quid & ſentire & pati poſſit. Nam & nunc animas torqueri, foueriq; penes inferos, licet nudas, licet

σκεῦος Vas

13

Hic & in ſequẽtibus me mineris te Tertullianum legere Liber de anima

licet adhuc exules carnis, probabit Lazari exemplum. Dedi igitur aduersario dicere: Ergo quę habet corpulentiam propriam de suo, sufficiet ad facultatem passionis & sensus, ut non egeat repræsentatione carnis: Imò eatenus egebit, non quia sentire quid sine carne non possit, sed quia necesse est illam etiam cum carne sentire. Quantum enim ad agendum de suo sufficit, tantū & ad patiendum. Ad agendum autem minus de suo sufficit. Habet enim de suo solummodo cogitare, uelle, cupere, disponere: ad perficiendum autem operam carnis expectat. Sic itaq; & ad patiendum societatem carnis expostulat, ut tam plene per eā pati possit, quàm sine ea plene agere non potuit. Et ideo in quæ de suo sufficit, eorum interim sententiam pendit, cōcupiscentiæ, & cogitatus, & uoluntatis. Porrò si hæc satis essent ad plenitudinē meritorum, ut non requirerentur & facta, sufficeret in totū anima ad perfectionem iudicij de his iudicanda, in quæ agenda sola suffecerat. Cū uero etiam facta deuincta sint meritis, facta autem per carnē administrentur, iam non sufficit animam sine carne foueri, siue cruciari pro operibus etiam carnis: & si habet corpus, & habet membra, quæ proinde illi nō sufficiunt ad sentiendum, nec ad agendum perfecte. Idcirco pro quo modo egit, pro eo & patitur apud inferos, prior degustans iudicium sicut prior induxit admissum: expectans tamen & carnem, ut per illam etiam facta compenset, cui cogitata mandauit: Deniq; hæc erit ratio in ultimum sinē destinati iudicij, ut exhibitione carnis omnis diuina censura perfici possit. Alioquin non sustinerentur in finem, quod & nunc animæ decerpuntur apud inferos, si solis animabus destinaretur. Hucusq; præstructionibus egerim ad muniendos sensus
14 omnium scripturarum, quæ carnis recidiuatum pollicentur. Cui cum tot autoritates iustorum patrociniorū procurent, honores dico substantię ipsius, tum uires dei, tum exempla earū, tum rationes iudicij & necessitates ipsius: utiq; secundum præiudicia tot autoritatum, scripturas intelligi oportebit, nō secundum ingenia hæreticorum, de sola incredulitate uenientia: quia incredibile habeatur restitui substantiam interitu subductam, nō quia & substantię ipsi inemeribile sit, aut deo impossibile, aut iudicio † inhabitabile: plane incredibile, si nec præiudicatū diuinitus fuerit: nisi quod & si prędicatum id à deo non fuisset, ultro præsumi debuisset, ut propterea nō prædicatum, quia tot autoritatibus præiudicatum. At cum diuinis quoq; uocibus personat, tanto abest ut aliter intelligatur quàm desiderant illa, à quibus etiam sine diuinis uocibus persuadeatur. Videamus igitur hoc primum, quonam titulo spes ista proscripta sit. Vnum opinor apud omēs edictum dei pendet resurrectio mortuorum. Duo uerba expedita, decisa, detersa: ipsa conueniā, ipsa discutiam, cui se substantiæ addicant. Cum audio resurrectionem homini imminere, quęram necesse est quid eius cadere sortitum sit. Siquidem nihil resurgere expectabit, nisi quod ante succiderit. Qui ignorat carnem ca-

Forte inlaudabile

Resurrectio

dere

dere per mortem,poteſt eam nec ſtantem noſſe per uitam. Sentẽtiam dei, natura pronunciat: Terra es,& in terram ibis.Et qui non audit,uidet. Nulla mors non ruina membrorum.Hanc corporis ſortem dominus quoque expreſſit,cum ipſa ſubſtantia indutus, Diruite,inquit,templum iſtud, & ego illud triduo reſuſcitabo. Oſtendit enim cuius ſit dirui,cuius elidi,cuius iacere,cuius & releuari, & reſuſcitari: quanquam & animam circumferat trepidantem uſque ad mortem,ſed non cadentem per mortem. Quia & ſcriptura de corpore,inquit, ſuo dixerat. Atq; adeo caro eſt,quę morte ſubruitur, ut exinde à cadendo cadauer renũcietur. Anima porrò nec uocabulo cadit, *Cadauer* quia nec habitu ruit.Atq; ipſa eſt quæ ruinam corpori infert, cũ efflata eſt: ſicut ipſa eſt,quæ illud de terra ſuſcitauit ingreſſa. Non poteſt cadere quæ ſuſcitauit ingreſſa. Non poteſt ruere,quæ elidit egreſſa. Artius dicam,ne in ſomnum quidem cadit anima cum corpore, ne tum quidem ſternitur cum carne. Sed enim agitatur in ſomnis & iactitatur:quieſceret autem ſi iaceret. Ita nec in ueritate mortis cadit,quæ nec in imagine eius ruit. Sequens nunc uocabulum mortuorum æque diſpice cui ſubſtantiæ inſidat: quanquam in *Mortuorum* hac materia admittamus, interdum mortalitatem animæ aſſignari ab hæreticis:ut ſi anima mortalis reſurrectionem conſecutura eſt, præiudicium ſit & carni non minus mortali reſurrectionem communicaturæ.Sed nũc proprietas uocabuli uindicanda eſt ſuæ ſorti.Iam quidem eo ipſo quod reſurrectio caducæ rei eſt,id eſt carnis,eadẽ erit & in nomine mortui: quia caducæ rei eſt reſurrectio,quæ dicitur mortuorũ.Sic & per Abraham patrẽ fidei,di *Abraham,diuinæ familiaritatis uir* uinæ familiaritatis uirũ diſcimus. Poſtulans enim Saræ humandæ locũ de filijs Heth:date ergo,inquit, mihi poſſeſſionẽ ſepulchri uobiſcũ, & humabo mortuam meã,carnem ſcilicet.Neq; enim animæ humandæ ſpaciũ deſi deraſſet,& ſi anima mortalis crederetur,& ſi mortuus dici mereretur.Quod ſi mortuus corpus eſt,corporũ erit reſurrectio cũ dicitur mortuorũ. Et hæc itaq; diſpectio tituli,& præconij ipſius, fidem utiq; defendens uocabulorũ, *15* illuc proficere debebit, ut ſi qua pars diuerſa turbat, obtentu figurarum & ænigmatum,manifeſtiora quæq; præualeant, & de incertis certiora præſcribant. Nacti enim quidam ſolenniſſimam eloquij prophetici formam allegorici & figurati plerunq;,nõ tamen ſemper,reſurrectionẽ quoq; mortuorum manifeſte annunciatã, in imaginariam ſignificationem diſtorquẽt, aſſeuerantes ipſam etiã mortem ſpiritaliter intelligendam.Non emi hanc eſſe in uero,quæ ſit in medio,diſſidiũ carnis atq; animæ: ſed ignorantiã dei,per quã homo mortuus deo non minus in errore iacuerit q̃ in ſepulchro.Itaq; & reſurrectionẽ eam uindicandã,qua quis adita ueritate redanimatus & reuiuificatus deo,ignorantiæ morte diſcuſſa,uelut de ſepulchro ueteris hominis eruperit:quia & dominus ſcribas & phariſæos ſepulchris dealbatis adæquauerit.Exinde ergo reſurrectionẽ fide conſecutos cũ domino eſſe,cum baptiſma

Prophetícum eloquium

Reſurrectio ſpiritalis quorundam

baptiſma induerint. Hoc deniq; ingenio etiã in colloquijs ſæpe noſtros decipere cõſuerũt: quaſi & ipſi reſurrectionẽ carnis admittant, Væ, inquiũt, qui nõ in hac carne reſurrexerit: ne ſtatim illos percutiãt, ſi reſurrectionẽ ſtatim abnuerint. Tacite autem ſecundum cõſcientiam ſuam hoc ſentiunt: Væ qui non, dum in hac carne eſt, cognouerit arcana hæretica: hoc eſt enim apud illos reſurrectio. Sed & plerique ab exceſſu animæ reſurrectionem uindicantes, de ſepulchro exire, de ſeculo euadere interpretantur, quia & ſeculũ mortuorum ſit habitaculum, id eſt ignorantium deum: Vel etiã de ipſo corpore, quia & corpus uice ſepulchri concluſam animam, in ſecularis uitæ morte detineat. Ob huiuſmodi igitur coniecturas primã præſtructionem eorum depellam, qua uolunt omnia Prophetas per imagines concionatos: quãdo ſi ita eſſet, ne ipſæ quidem imagines diſtingui potuiſſent, ſi non & ueritates prædicatæ fuiſſent, ex quibus imagines deliniarentur. Atq; adeo ſi omnia figuræ, quid erit illud cuius figuræ? quomodo ſpeculum obtendes, ſi nuſq; eſt facies? Adeo aũt non omnia imagines, ſed & ueritates: nec omnia umbræ, ſed & corpora: ut in ipſum quoq; dominum inſigniora quæq; luce clarius prædicarentur. Nam & uirgo concepit in utero, non figurate, & peperit Emanuelem, nobiſcum dominum Ieſum, non oblique. Etſi oblique, acceperum uirtutem Damaſci & ſpolia Samariæ: ſed manifeſte, uenturum in iudicium cum presbyteris & principibus populi. Nam & tumultuatæ ſunt gentes in perſona Pilati, & populi meditati ſunt inania, in perſona Iſraelis. Aſtiterunt reges terræ, Herodes: & archontes congregati ſunt in unum, Annas & Caiphas aduerſus dominum & aduerſus Chriſtum eius. Qui & tanquàm ouis ad iugulationem adductus eſt, & tanquàm agnus ante tondentem, ſcilicet Herodem ſine uoce, ſic non aperuit os ſuum: dorſum ſuum ponens ad flagella, & maxillas ad palmas, & faciem non auertens à ſputaminum iaculis: deputatus etiã inter iniquos, perfoſſus manus & pedes: ſortem paſſus in ueſtimento, & potus amaros, & capitum irridentium nutus, triginta argenteis appreciatus à proditore: Quæ hic figuræ apud Eſaiã? quæ imagines apud Dauid? quæ ænigmata apud Hieremiam? ne uirtutes quidem eius per parabolas profatos. Aut nũquid nec oculi patefacti ſunt cæcorum, nec inclaruit lingua mutorum, nec manus aridæ, & genua diſſoluta reualuerunt, nec claudi ſalierunt ut ceruus: quæ etſi ſpiritaliter quoq; interpretari ſolemus ſecundum comparationem animalium uitiorum à domino remediatorum, cum tamen & carnaliter adimpleta ſunt, oſtendunt prophetas in utramq; ſpeciem prędicaſſe, ſaluo eo quod plures uoces eorum nudę & ſimplices, & ab oñi allegoriæ nubilo puræ defendi poſſunt: ut cum exitus gentium & urbium reſonant, Tyri & Ægypti, & Babylonis, Idumææ, & Carthaginenſium nauium: ut cũ ipſius Iſraelis plagas, aut uenias, captiuitates, reſtitutiones, ultimæq; diſperſionis exitum perorant. Quis hæc interpretabitur

Allegoriæ

Non omnia, figuræ

ἄρχοντες, id eſt, principes

Veniæ

bitur magis quàm recognoſcet? res in literis tenentur, ut terræ in rebus le/
guntur. Ita non ſemper, nec in omnibus allegorica forma eſt prophetici elo
quij, ſed interdum & in quibuſdam. Si ergo interdum & in quibuſdam in/
quis, cur non & in edicto reſurrectionis ſpiritaliter intelligendæ? quoniam
quidem plurima ratio intercedit. Primo enim quid facient tot alia inſtru/
menta diuina, ita aperte corporalem cõteſtantia reſurrectionem, ut nullam
admittant figuratæ ſignificantiæ ſuſpicionem. Et utiq; æquum ſit quod &
ſupra demandauimus, incerta de certis, & obſcura de manifeſtis præiudica/
ri: uel ne inter diſcordiam certorum & incertorum, manifeſtorum & obſcu/
rorum fides diſſipetur, ueritas periclitetur, ipſa diuinitas ut inconſtans deno
tetur: Tum quod ueriſimile non eſt, ut ea ſpecies ſacramenti, in quam fides 16
tota committitur, in quam diſciplina tota connititur, ambigue† annuata, & *† Fortaſſis, leg. annũciata*
obſcure propoſita uideatur: quãdo ſpes reſurrectionis niſi manifeſta de pe
riculo & præmio, neminem ad eiuſmodi præſertim religionẽ publico odio
& hoſtili elogio obnoxiam perſuaderet. Nullum opus certum, eſt mercedis
incertæ. Nullus timor iuſtus, eſt periculi dubij. Et merces autẽ, & periculum,
in reſurrectionis pendet euentu. Et ſi temporalia & localia & perſonalia dei
decreta atq; iudicia in urbes & gentes, & reges, tam aperta prophetia iacu/
lata eſt, quale eſt ut æternæ diſpoſitiones eius & uniuerſales in omne homi
num genus lucem ſui fugerint: quę quanto maiora, tanto clariora eſſe debe/
rent, ut maiora crederentur? Et puto deo nec liuorem, nec dolum, nec incon
ſtantiam, nec lenocinium aſſcribi poſſe, per quæ ferè promulgatio maiorũ
cauillatur. Poſt hæc ad illas etiam ſcripturas reſpiciendum eſt, quæ nõ ſinũt
reſurrectionem ſecundum animales iſtos, ne dixerim ſpiritales, aut hic iam
in ueritatis agnitione præſumi, aut ab exceſſu ſtatim uitæ uindicari. Cũ emẽ
& tempora totius ſpei fixa ſint ſacroſancto ſtilo, nec liceat eã ante conſtitui,
in aduentu (opinor) Chriſti, uota noſtra ſuſpirant ſeculi huius occaſum, in
tranſitum mundi quoq; ad diem domini magnum, diem iræ & retributio/ *Dies domini magnus*
nis, diem ultimum & occultum, nec ulli præter quàm patri notum, & tamen
ſignis atq; portentis & concuſſionibus elementorum, & conflictationibus
nationum prænotatum. Euoluerem prophetias, ſi dominus ipſe tacuiſſet,
niſi quod & prophetiæ uox erant domini, ſed plus eſt quod illas ſuo ore cõ *Prophetiæ*
ſignat. Interrogatus à diſcipulis quãdo euentura eſſent, q̃ interim de templi
exitu eruperat, ordinem temporum primo Iudaicorum uſq; ad excidiũ Hie
ruſalem, dehinc communium uſq; ad concluſionem ſeculi dirigit. Nam po
ſteaquàm edixit, & tunc erit Hieruſalem conculcatui nationibus, donec ad/ 17
impleantur tempora nationum allegendarum ſcilicet à deo, & congregan/
darum cum reliquijs Iſraelis: Inde iam in orbem & in ſeculum prædicat ſe/
cundum Iohelem & Danielem & uniuerſum concilium prophetarum, futu
ra ſigna in ſole & luna & in ſtellis, concluſionem nationum cum ſtupore ſo/

nitus maris & motus refrigescentium hominum præ metu & expectatione eorum quæ immineant orbi terræ. Virtutes enim, inquit, cœlorum cõmouebuntur, & tunc uidebunt filium hominis uenientem in nubibus cum plurimo potentatu & gloria. Vbi autem cœperint ista fieri, emergetis & eleuabitis capita uestra, quod redemptio uestra adpropinquauerit. Et tamen appropinquare eam dixit, non adesse iam: & cum cœperint ista fieri, non cum facta fuerint: quia cum facta fuerint, tunc aderit redemptio nostra, quæ eo usq; adpropinquare dicitur: erigens interim & excitans animos, ad proximum iam spei fructum. Cuius etiam parabola subtexitur tenerescentium arborum in caulem floris & dehinc frugis antecursorem: Ita & uos cum uideritis omnia ista fieri, scitote in proximo esse regnum dei. Vigilate ergo omni tempore, ut digni habeamini effugere omnia ista, & stetis ante filiũ hominis: utiq; per resurrectionem omnibus ante transactis. Ita & si in agnitione sacramẽti fructificasset, sed in domini repræsentatione florescit atq; frugescit. Quis ergo dominum tam intempestiue, tam acerbe excitauit iam ad dexteram dei, ad confringendam terram secundum Esaiam, quæ puto adhuc integra est? Quis inimicos Christi iam subiecit pedibus eius secundum Dauid, quasi uelocior patre, omni adhuc populariũ cœtu reclamante Christianos ad leonem? Quis cœlo descendentem Iesum talem conspexit, qualẽ
18 ascendentem Apostoli uiderant secundum angelorum constitutum? Nulla ad hodiernum tribus ad tribum pectora ceciderunt, agnoscentes quem pupugerunt. Nemo adhuc excepit Heliam, nemo adhuc fugit antichristum, nemo adhuc Babylonis exitum fleuit. Est iam qui resurrexerit nisi hæreticus? Exijt planè iam de corporis sepulchro, etiam nunc febribus & hulceribus obnoxius, & conculcauit iam inimicos, etiam nunc luctari habens cum mundi potentibus. Et utiq; iam regnat, etiã nunc Cæsari quę sunt Cæsaris, debens. Docet quidem Apostolus Colossensibus scribens, mortuos fuisse nos aliquando alienatos & inimicos sensus domini, cum in operibus pessimis agebamus. Dehinc consepultos Christo in baptismate, & conresuscitatos in eo per fidem efficaciæ dei, qui illum suscitarit à mortuis. Et uos cum mortui essetis delictis, & præputiatione carnis uestræ, uiuificauit cum eo, donatis uobis omnibus delictis. Et rursus: Si cum Christo mortui estis ab elementis mundi, quomodo quidam quasi uiuentes in mundo sententiam fertis? Sed cum ita nos mortuos faciat spiritaliter, ut tamẽ & corporaliter quandoq; morituros agnoscat, utique & resuscitatos, proinde spiritaliter deputans, æque non negat etiam corporaliter resurrecturos. Deniq; si resurrexistis, inquit, cum Christo, ea quę sursum sunt quęrite, ubi est Christus in dextera dei residens: ea quæ sursum sunt sapite, non quæ deorsum. Ita animo ostendit resurgere, quo solo adhuc possumus cœlestia attingere: quæ non quæreremus, nec saperemus, si possideremus. Subijcit etiam: Mortui enim

estis

estis,scilicet delictis: non nobis,sed uita uestra absconditа est cum Christo in deo.Nondum ergo apprehensa est,quæ absconditа est.Sic & Ioannes: Et nondum ait manifestatum est,quid futuri sumus.Scimus quia si manifestauerit, similes ei erimus. Tanto abest,ut simus iam quod nescimus: utiq; scituri si iam essemus. Adeo contemplatio est spei in hoc spatio per fidem, non præsentatio:nec possessio,sed expectatio. De qua spe & expectatione Paulus ad Galatas.Nos enim spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus:nó ait tenemus.Iustitiæ autem dei dicit ex iudicio quo iudicabitur de mercede. Ad quas pendens & ipse,cum Philippensibus scribit,Si qua,inquit,concurram in resuscitationē quæ à mortuis, non quia iam accepi aut cōsummatus sum.Et utiq; crediderat,& omia sacramenta cognouerat,uas electionis, doctor Nationum,& tamen adjcit:Persequor autem si adprehendam in quo sum adprehensus à Christo.Eo amplius:ego me,fratres, non puto adprehendisse,unum planè,oblitus posteriorum in priora me extendens, secundum scopum persequor ad palmam incriminationis per quā concurrerem: utiq; in resuscitationem à mortuis,suo tamen tempore:sicut ad Galatas: Bene autem facientes ne tedeat:tempore enim suo metemus.Sicut & ad Timotheum de Onesiphoro: Det illi dominus inuenire misericordiā in illo die. In quem diem ac tempus & ipsi præcipit custodire mandatum immaculatū, inreprehensibile,in apparentiam domini Iesu Christi, quam suis temporibus ostendet,beatus & solus potentator,& rex regnantium, de deo dicens. De quibus tēporibus & Petrus in Actis: Pœniteat uos & respicite ad abolenda delicta uestra,ut tēpora uobis superueniāt refrigerij ex persona dei, & mittat prædesignatum nobis Christum,quē oportet accipere cœlos aduſq; tempora exhibitionis omniū quæ locutus est deus ore sanctorū prophetarum. Quæ hæc tempora,cum Thessalonicensibus discе.Legimus em̄ qualiter conuersi sitis ab idolis,ad seruiendum uiuo & uero deo, & ad expectandum à cœlis filium eius,quem suscitauit ex mortuis, Iesum. Et rursus: Quæ enim spes nostra uel gaudium uel exultationis corona,quàm uos coram domino deo nostro Iesu Christo in aduentu ipsius? Item, Coram deo & patre nostro in aduentum domini nostri Iesu Christi,cum uniuersis sanctis eius.De quorum dormitione minus mœrenda docens,simul & tempora resurrectionis exponit, dicens: Si enim credimus ꝙ Iesus mortuus sit & resurrexerit, sic & deus eos qui dormierunt,per Iesum adducet cū ipso.Hoc enim dicimus uobis in sermone dei:quod nos qui uiuimus,qui remanemus in aduentum domini nostri, non præueniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse dominus in iussu & in uoce archangeli & tuba dei descēdet de cœlo,& mortui in Christo primi resurgent,deinde nos qui uiuimus, qui simul cum illis tollemur in nubibus obuiam Christo in aerem:& ita semper cum domino erimus.Quæ uox archangeli,quæ tuba dei audita iam,nisi forte in

Εἴπως καταντήσω εἰς τὴν ἐξανάστασιν.

19

καὶ μόνος δυνάστης

cubiculis hæreticorum? Nam etsi tuba dei euãgelicus sermo dici potest, qui illos iam uocaret: sed aut mortui erunt iam corporaliter, ut resurrexerint: & quomodo uiuũt? aut in nubes erepti: & quomodo hic sunt? miserrimi reuera ut Apostolus pronunciauit, qui in ista tantum uita sperantes habebũtur, excludendo, dum præripiunt, quod post illam repromittitur, frustrati circa ueritatem, non minus quàm Phygelus & Hermogenes. Et ideo maiestas spiritus sancti perspicax eiusmodi sensuũ, & in ipsa ad Thessalonicẽses epistola suggerit: De temporibus autem & temporum spatijs, fratres, non est necessitas scribendi uobis. Ipsi enim certissime scitis quod dies domini quasi fur nocte ita adueniet. Cum dicent pax & tuta sunt omnia, tunc illis repentinus insistet interitus. Et in secunda, pleniore sollicitudine ad eosdem: Obsecro uos fratres, per aduentum domini nostri, & congregationem nostram ad illum, ne cito commoueamini animo, neq; turbemini, neq; per spiritum, neq; per sermonem, scilicet pseudoprophetarum: neq; per epistolam scilicet pseudapostolorum ac si per nostrã, quasi instet dies domini. Ne quis uos seducat ullo modo: quoniam nisi ueniat abscessio primo, huius utiq; regni, & reueletur delinquẽtię homo, id est antichristus, filius perditionis, qui aduersatur & superextollitur omne quod deus dicitur, uel religio, uti sedeat in templo dei, adfirmans deum se. Nónne meministis quod cum apud uos essem, hæc dicebam uobis? Et nunc qui teneat scitis ad reuelandum eum in suo tempore. Iam enim arcanum iniquitatis agitatur: tantum qui nũc tenet teneat, donec de medio fiat: quis? nisi Romanus status, cuius abscessio in decem reges dispersa antichristum superducet, & tunc reuelabitur iniquus, quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & euacuabit apparentia aduentus sui. Cuius est aduentus secundum operationem satanæ in omni uirtute & signis atq; portentis mendacij, & in omni seductione iniustitiæ eis qui pereunt. Etiam in Apocalypsi ordo temporum sternitur, quem martyrum quoq; animæ sub altari ultionem & iudicium flagitantes sustinere didicerunt: ut prius & orbis de pateris angelorum plagas suas ebibat, & prosituta illa ciuitas à decem regibus dignos exitus referat, & bestia antichristus cum suo pseudopropheta certamẽ ecclesię inferat: atq; ita diabolo in abyssum interim religato, primæ resurrectionis prærogatiua de solis ordinetur: dehinc & igne dato, uniuersalis resurrectiõis censura de libris iudicetur. Cũ igitur & status temporum ultimorum scripturæ notent, & totam Christianæ spei frugem in exordio seculi collocent: apparet aut tunc adimpleri totum quodcunq; nobis à deo repromittitur: & uacat, quod hic iam ab hæreticis uindicatur. aut si & agnitio sacramenti, resurrectio, salua utiq; illa creditur quę in ultimo prædicatur: sequitur ut eo ipso quod hæc spiritalis uindicetur, illa corporalis præiudicetur. quia si nulla tunc annunciaretur, merito sola hæc & tantummodo spiritalis uindicaretur: cum uero & in ultimum

tempus

tempus educitur,corporalis agnoſcitur. Quia non & tunc ſpiritalis annun-
ciaretur reſurrectio eiuſdem conditionis,id eſt ſpiritalis:cum aut nunc eam 20
deceret expungi ſine ulla differentia temporum, aut tunc ſub omni clauſula
temporum. Ita nobis magis cõpetit etiam ſpiritalem defendere reſurrectio-
nem ab ingreſſu fidei,qui plenitudinem eius agnoſcimus exitũ ſeculi. Vnũ
adhuc reſpõdebo ad propoſitionem priorem allegoricarum ſcripturarum:
licere & nobis corporalem reſurrectionem de patrocinio figurati proinde
eloquĩ prophetici uindicare. Ecce enim diuina primordio ſententia terram
hominem pronunciando: Terra es, & in terram ibis, ſecũdum ſubſtantiam
ſcilicet carnis,quæ de terra erat ſumpta,& quæ prior homo fuerat appella-
ta,ſicut oſtendimus:dat mihi diſciplinam in carnem quoq; interpretandi,ſi
quid iræ uel gratię in terram deus ſtatuit:quia nec proprie terra iudicio eius
obnoxia eſt,quæ nihil boni ſeu mali admiſit:maledicta quidem quo hau-
ſerit ſanguinem,ſed & hoc ipſum in figuram carnis homicidæ. Nam & ſi iu
uari ſeu lædi habet terra quoq; propter hominem,uti ille iuuetur,ſiue læda 21
tur per conſiſtorĩ ſui exitus:quo magis ipſe penſabit,quæ propter illũ etiã
terra patietur? Itaq; & cum cõminatur terræ deus, carni potius comminari
eum dicam:& cum quid terræ pollicetur,carni potius polliceri eum intelli-
gam,ut apud Dauid:Dominus regnauit,exultauit terra:id eſt,caro ſancto-
rum,ad quam pertinet regni diuini fructus. Dehinc ſubiungit: Vidit & con
cuſſa eſt terra. Montes ſicut cera liquefacti ſunt à facie domini: caro ſcilicet
prophanorum:& uidebunt enim eum in quem confixerunt. Atque adeo ſi
ſimpliciter de terræ elemento utrunq; exiſtimabitur pronunciatum, quo-
modo cõgruet & cõueniet liquefieri eam à facie domini,quo ſupra regnan
te exultauit? Sic & apud Eſaiam,Bona terræ edetis, bona carnis intelligen-
tur, quæ illam manent in regno dei reformatã & angelificatam: & conſecu- *Angelificata caro*
turã quę nec oculus uidit,nec auris audiuit,nec in cor hominis aſcenderunt.
Alioquin ſatis uanum,ut ad obſequium deus fructibus agri,& cibarĩs uitæ
huius inuitet, quæ etiã inreligioſis & blaſphemis ſemel homini addicta cõ-
ditione cõmunicat,pluens ſuper bonos & malos, & ſolem ſuũ mittẽs ſuper
iuſtos & iniuſtos. Felix nimirũ fides,ſi ea conſecutura ſunt, quibus hoſtes
dei & Chriſti, non modo utuntur,uerum etiam abutuntur,ipſam conditio-
nem colentes aduerſus conditorem. Bulbos & tubera in terræ bonis depu-
tabis,domino pronũciante,ne in pane quidem uicturum hominem. Sic Iu-
dæi terrena ſolummodo ſperando,cœleſtia amittunt, ignorantes & panem
de cœleſti repromiſſum,& oleum diuinæ unctionis,& uinum ſpiritus aquã
animæ uigorantis ex uite Chriſti. Sicut & ipſam terram ſanctã, Iudaicum
proprie ſolum reputant,carnem potius domini interpretandam,quæ exin-
de & in omnibus Chriſtum indutis,ſancta ſit terra. Vere ſancta,per inco-
latum ſpiritus ſancti:uere lacte & melle manans, per ſuauitatem ſpei ipſius:

uere Iudæa,per dei familiaritatem: Non enim qui in manifesto Iudęus, sed qui in occulto: ut & templum eadē sit,& Hierusalem, audiens ab Esaia, exurge exurge Hierusalem induere fortitudinem brachij tui, Exurge sicut in primordio: scilicet in illa integritate qua fuerat ante delictum trāsgressionis. Quæ enim in eam Hierusalem uoces eiusmodi competent exhortationis & aduocationis, quæ occidit prophetas & lapidauit ad se missos,& ipsum postremo dominum suum confixit? Sed nec ulli omnino terræ salus repromittitur, quam oportet cum totius mundi habitu præterire. Etiam si quis audebit terram sanctā paradisum potius argumentari, quam & patrum dici capiat Adæ scilicet & Euæ: proinde & in paradisum restitutio carni uidebitur repromissa quæ eū incolare & custodire sortita est, ut talis illuc homo reuocetur qualis inde pulsus est. Habemus etiā uestimentorū in scripturis mentionem ad spem carnis allegorizare, quia & Apocalypsis Iohannis, hi sunt, ait, qui uestimenta sua nō coinquinauerunt cum mulieribus: uirgines scilicet significans,& qui semetipsos castrauerunt propter regna cœlorum. Itaq; in albis erunt uestibus, id est, in claritate, in nube carnis. Et in euangelio indumentum nuptiale, sanctitas carnis agnosci potest. Itaq; Esaias docēs quale ieiuniū elegerit dominus cū subiicit de mercede bonitatis, tūc, inquit, lumen tuum temporaneum erumpet & uestimenta tua citius orientur: nō subucula utiq; nec pallium, sed carnem uolens accipi, ortum carnis resurrecturæ, de mortis occasu prædicauit: Adeo nobis quoq; suppetit allegorice defensio corporalis resurrectionis. Nam & cū legimus: Populus meus introite in cellas promas quantulū, donec ira mea prætereat, sepulchra erūt cellæ promæ, in quibus paulisper requiescere habebunt, qui in finibus seculi sub ultima ira per Antichristi uim excesserint. Aut cur cellarū promarū potius uocabulo usus est,& non alicuius loci receptorij, nisi quia in cellis promis caro salita & usui reposita seruatur depromenda illinc suo tempore. Proinde em̄ & corpora medicata condimentis sepulturæ, mausoleis & monumentis sequestrantur, processura inde cū iusserit dominus. Quod cū ita intelligi congruat, (& q̄ em̄ ab ira dei cellariorū nos refugia seruabūt?) hoc ipso quod ait, donec ira prætereat, quę extinguet antichristū, post iram ostēdit processuram carnē de sepulchro, in quo ante irā fuerit inlata. Nam & de cellarijs non aliud effertur q̄ quod infertur,& post antichristi eradicationē agitabitur resurrectio. Scimus aūt sicut uocibus ita & rebus prophetatū. Tam dictis q̄ & factis prædicatur resurrectio. Cū Moyses manū in sinum condit & emortuā profert,& rursus insinuat & uiuidā explicat, nónne hoc de toto homine portendit? siquidē trina uirtus dei per illa trina signa denotabatur cū suo ordine, primo diabolū serpentem quanq̄ formidabilē subactura homini, dehinc carnē de sinu mortis retractura, atq; ita omnem sanguinē executura iudicio. De quo apud eundē propheten, quoniam & uestrum, inquit deus

Dici capiat pro dici liceat

Cellæ promæ

22

deus, ſanguinem exquirã de oñibus beſtijs,& de manu hominis & de manu fratris exquiram eum. Porrò nihil exquiritur niſi quod repoſcitur: Nihil repoſcitur niſi quod & reddetur: & utiq; reddetur, quod ultionis nomine repoſcetur & exquiretur. Neq; enim uindicari poterit, quod omnino nõ fuerit. Erit autem dum reſtituitur, uti uindicetur. In carnem itaq; dirigitur, quicquid in ſanguinẽ prædicatur, ſine qua nõ erit ſanguis. Caro ſuſcitabitur, ut ſanguis uindicetur. Sunt & quædã ita pronunciata, ut allegoriæ quidẽ nubilo careant, nihilominus tamẽ ipſius ſimplicitatis ſuæ ſitiant interpretationem, quale eſt apud Eſaiam: Ego occidam & uiuificabo. Certe poſteaquã occiderit, uiuificabit. Ergo per mortẽ occidens, per reſurrectionẽ uiuificabit. Caro eſt aũt quæ occiderit per mortem, caro itaq; & uiuificabitur per reſurrectionẽ. Certe ſi occidere, carni animã referet, caro reſurgat neceſſe eſt, cui anima per occiſionẽ erepta, referenda eſt per uiuificationẽ. Igitur ſi & allegoricæ ſcripturæ,& argumenta rerũ, & ſimplices uoces reſurrectionem carnis quanq; ſine nominatione ipſius ſubſtantiæ ſubradiant: quanto magis q̃ hanc ſpem in ipſas ſubſtantias corporales ſpeciali mentione determinant, non erunt deducendæ in quæſtionem? Accipe Ezechielem: Et facta eſt, inquit, ſuper me manus domini, & extulit me ſpiritu dominus & poſuit me in medio campi. is erat oſſibus refertus, & circũduxit me ſuper ea per circuitũ, & ecce multa ſuper faciem campi: & ecce arida ſatis. Et ait ad me: Fili hominis ſi uiuent oſſa iſta? Et dixi: Adonai domine tu ſcis. Et ait ad me: Prophetа in oſſa hæc, & dices: Oſſa arida audite ſermonẽ domini. Hæc dicit dominus adonai, oſſibus iſtis: Ecce ego adfero in uos ſpiritũ & uiuetis, & dabo in uos ſpiritũ, & reducam uos in carnes. circũdabo in uobis cutẽ, & dabo in uobis ſpiritum, & uiuetis, & cognoſcetis quod ego dominus. Et prophetaui ſecundum præceptũ, & ecce uox dum propheto, & ecce motus, & accedebant oſſa ad oſſa. Et uidi, & ecce ſuper oſſa nerui & caro aſcendit: & circumpoſitę ſunt eis carnes, & ſpiritus in eis non erat, & ait ad me: Propheta ad ſpiritum fili hominis: propheta, & dices ad ſpiritum: Hæc dicit dominus adonai: A quatuor uentis ueni ſpiritus & ſpira in iſtis interemptis & uiuant. Et prophetaui ad ſpiritum ſicut præcepit mihi, & introiuit in ea ſpiritus, & uixerunt & ſteterunt ſuper pedes ſuos ualentia magna ſatis. Et ait ad me: Fili hominis, oſſa iſta omnis domus Iſrael eſt. Ipſi dicunt: Exaruerunt oſſa noſtra, & periit ſpes noſtra, auulſi ſumus in eis. Propterea propheta ad eos: Ecce ego patefacio ſepulchra ueſtra, & euehã uos de ſepulchris ueſtris populus meus, & inducam uos in terrã Iſrael: & cognoſcetis quod ego dominus aperui ſepulchra ueſtra & eduxerim uos de ſepulchris ueſtris populus meus, & dabo uobis ſpiritum & uiuetis & requieſcitis in terra ueſtra, & cognoſcetis q; ego dominus locutus ſim & fecerim, dicit dominus. Hãc quoq; prædicationem ſcio qualiter cõcutiant in allegoriæ argumentationẽ: quia dicendo oſſa 23

ista omnis domus est Israel,in imaginē ea fecerit Israeli,sed à propria condi
tione transtulerit,atq; ita figuratā esse non uerā resurrectionis prædicatio
nem.Statum enim Iudæorū deformari quodā modo emortuū & exaridū
& dispersum in campo orbis.Itaq; & imaginē resurrectionis in illū allegori
zari,quia recollīgi habeat & recōpingi os ad os,id est tribus ad tribū,& po
pulus ad populū,& recorporari carnis facultate neruis regni: atq; ita de se
pulchris,id est de habitaculis captiuitatis tristissimis atq; teterrimis educi,&
refrigerij nomine respirari,& uiuere exinde in terra sua Iudæa.Et quid post
hæc?morientur sine dubio.Et quid post mortē? Nulla, opinor resuscitatio,
si nō hæc erit ipsa quæ Ezechieli reuelatur.Sed em̄ & aliàs prædicatur resur
rectio,ergo & hęc erit:& temere in statū eam Iudaicarū rerum conuertunt.
Aut si alia est illa quā defendimus,nihil mea interest,dum sit & corporū re
surrectio,sicut & rerū Iudaicarū.Deniq; hoc ipso quod recidiuatus Iudaici
status de corporatione & redanimatione ossium figuratur, id quoq; euen
turū ossibus probatur.Nō enim posset de ossibus figura cōponi, si non id
ipsum & ossibus euenturū esset. Nā & si figmentū ueritatis in imagine est,
imago ipsa in ueritate est sui. Necesse est esse prius sibi, quo alij configure
tur. De uacuo similitudo non competit: de nullo parabola nō conuenit. Ita
oportebit ossium quoq; credi reuiscerationē & respirationē qualis dicitur,
de qua possit exprimi Iudaicarū rerū reformatio qualis adfingitur. Sed ma
gis religiosum est ueritatē de suę ueritate simplicitatis defendi,quā sensus di
uinæ propositionis expostulat.Si enim ad res Iudaicas spectaret hæc uisio:
statim reuelato situ ossium subiecisset: Ossa ista omnis domus Israelis est,
& cętera deinceps. At cum ostensis ossibus,de propria spe eorū quid oblo
quitur,nondū nominato Israele,fidē tentat prophetę:Fili hominis,si uiuent
ossa:ut & ille respōderet,dñe tu scis. Non utiq; deus prophetę fidē de ea re
tentasset,q̄ futura nō esset,quā nunq; Israel audisset, quā credi non oporte
ret:sed quoniā prædicabatur quidem resurrectio mortuorū,Israel uero pro
sua incredulitate diffidens scandalizabatur:& aspiciens habitum senescētis
sepulturæ desperabat resurrectionē, uel non in eam potius animum dirige
bat,sed in circūstantias suas:idcirco deus & prophetam quasi & ipsum du
24 bium præstruxit ad constantiam prædicationis, reuelato ordine resurre
ctionis:& populo id credendum mandauit,quod prophetę reuelauit, ipsos
dicens esse ossa,quæ erant resurrectura,qui nō credebant resurrectura.De
niq; in clausula,& cognoscetis,inquit,quod ego dominus locutus sim,& fe
cerim:id utiq; facturus, quod fuerat locutus. cæterū non id facturus quod
locutus,si aliter facturus.Planè si & populus allegorice mussitaret ossa sua
arefacta,& spem suā perditā,dispersionis exitū,querulus, merito uideretur
& deus figuratā desperationē figurata promissione cōsolatus. Sed cum di
sperſionis quidē iniuria nōdum populo accidisset, resurrectionis uero spes

apud

apud illum ſæpiſſime † ceciniſſet, manifeſtus eſt de corporum interitu labe/ *for. deſciuiſſet*
factans fiduciam reſurrectionis: ita & deus eam reſtituebat fidē, quam po/
pulus deſtruebat. Quanquam etſi aliqua præſentium rerum tunc cōflicta/
tione hærebat Iſrael, non idcirco in parabola accipienda eſſet reuelationis
intentio, ſed in teſtationē reſurrectionis: ut in illam ſpem erigeret illos æter/
næ ſcilicet ſalutis & neceſſarioris reſtitutionis, & auerteret à reſpectu præſen
tium rerum. Ad hoc enim & alibi prophetes: Exibitis de ſepulchris uelut ui
tuli de uinculis ſoluti, & conculcabitis inimicos. Et rurſus: Gaudebit cor ue/
ſtrum, & oſſa ueſtra uelociter orientur: quia & herba de diſſolutione & cor/
ruptela ſeminis reformatur. In ſumma: ſi proprie in Iſraelis ſtatū reſurgen/
tium oſſium imago contenditur, cur etiam non Iſraeli tantummodo, uerum
& omnibus gentibus eadem ſpes annunciatur, & recorporandarū & reda/
nimandarum reliquiarum, & de ſepulchris excitandorum mortuorum? de
oīnibus enim dictū eſt: Viuent mortui, & exurgent de ſepulchris: ros enim
qui à te, medela oſſibus eorum. Item alibi: Veniet adorare omnis caro in cō
ſpectu domini, eò dicit dominus: quādo? cū præterire cœperit habitus mun
di huius Supra enim, quemadmodū cœlum nouum & terra noua, quæ ego
facio in conſpectu meo dicit dominus, ita ſtabit ſemen ueſtrum. Tunc ergo
& quod ſuum dicit, implebitur. Et exibunt, utiq; de ſepulchris, & uidebūt ar
tus eorum qui impie egerunt: quoniam uermis illorum non decidet, & ignis
eorum non extinguetur: & erit ſatis conſpectui omni carni, ſcilicet quæ reſu
ſcitata & egreſſa de ſepulchris dominū pro hac gratia adorabit. Sed ne ſo/
lummodo eorum corporum reſurrectio uideatur prædicari, quæ ſepulchris
demandantur: habes ſcriptum: Et mandabo piſcibus maris & eructabunt
oſſa quæ ſunt comeſta, & facient compaginem ad compaginē, & os ad os.
Ergo, inquis, & piſces reſuſcitabuntur & cæteræ beſtiæ & alites carniuoræ,
ut uomant quos comederunt: quia & apud Moyſen legis exquiri ſanguinē
de omnibus beſtijs? Non utiq;. Sed idcirco nominantur beſtiæ & piſces in
redhibitionem carnis & ſanguinis, quo magis exprimatur reſurrectio etiā
deuoratorum corporum, cum de ipſis deuoratoribus exactio edicitur. Pu/
to autem huius quoq; diuinę poteſtatis documentum idoneum Ionā, cum *Ionas de aluo*
incorruptus utraq; ſubſtantia carne atq; anima de aluo piſcis euoluitur: & *piſcis poſt tri*
utiq; triduo concoquendæ carni uiſcera ceti ſuffeciſſent, quàm capulum, cīp *duū euolutus*
ſepulchrum, quàm ſenium requietæ atq; conditæ alicuius ſepulturæ. Saluo
eo quod & beſtias, feros in Chriſtianum uel maxime nomen homines, uel
ipſos etiam iniquitatis angelos figurauit, de quibus ſanguis exigetur per ul
tionem penſandam. Quis ergo diſcendi magis adfinis, quàm prę ſumendi:
& credendi diligentior, quàm contendendi: & diuinæ potius ſapientiæ reli/
gioſus, quàm ſuæ libidinoſus, audiens aliquid à deo deſtinatum in carnes,
& cutes, & neruos, & oſſa, aliud quid hæc commentabitur, quaſi non in ho/
minem

minem destinetur,quod in istas substantias prædicatur? Aut enim nihil in hominem destinatur,non liberalitas regni,non seueritas iudicij,non quod cunq; est resurrectio:aut si in hominẽ destinatur,necesse est in eas substantias destinetur,ex quibus homo structus est, in quem destinatur. Illud etiã de argutissimis istis demutatoribus ossium,& carnium, & neruorum, & sepulchrorum requiro,cur si quando in animã quid pronunciatur nihil aliud animam interpretantur,nec transfigunt eã in alterius rei argumentũ. Cum uero in aliquam speciem corporalem quid dicitur,omĩa potius adseuerant, quàm quod nominatur.Si corporalia parabolæ,ergo & animalia. Si nõ & animalia,ergo nec corporalia. Tam enim corpus homo,quàm & anima,ut non possit altera species admittere ænigmata, altera excludere. Satis hæc de prophetico instrumento,ad Euangelia nunc prouoco, hic quoq; occursurus prius eidem astutiæ eorum qui proinde & dominum omnia in parabolis pronunciasse contendunt,quia scriptum est:Hæc omĩa locutus est Iesus in parabolis: & sine parabola non loquebatur ad illos, scilicet Iudæos. Nam & discipuli:Quare,aiunt,in parabolis loqueris? & dominus: Propterea in parabolis loquor ad eos,ut uidentes non uideant, & audientes nõ audiant:secundum Esaiam. Quod si ad Iudęos in parabolis, iam nõ ad omẽs. Si nõ ad oẽs in parabolis, iam nõ semper nec omĩa parabolæ,sed quędam cum ad quosdam. Ad quosdam autem dum ad Iudæos. Nonnunquã planè & ad discipulos. Sed quomodo referat scriptura,considera. Dicebat aũt & parabolam ad eos:ergo & non parabolam dicebat: quia nõ notaretur cũ parabolam loquebatur,si ita semper loquebatur:& tamen nullam parabolam non aut ab ipso inuenias ediſſertatam,ut de seminatore in uerbi administratione:aut à commentatore euangelij præluminatam,ut iudicis superbi & uiduæ instantis ad perseuerantiam orationis:aut ultro cõiectandam, ut arboris fici dilatæ in spẽ,ad instar Iudaicæ infructuositatis. Quod si nec parabolæ obumbrant euangelij lucem, tanto abest ut sententiæ & definitiones,quarum aperta natura est,aliter quàm sonant,sapiant. Definitionibus autem & sententijs dominus edicit,siue iudicium,siue regnum dei, siue resurrectionem: Tolerabilius erit,inquit,Tyro,& Sidoni in die iudicij:Et dicite illis quod adpropinquauerit regnum dei.&,Retribuetur tibi in resurrectione iustorum.Si nomina absolute sunt rerum, id est iudicij & regni dei, & resurrectionis,ut nihil eorum in parabolam cõprimi possit: nec ea in parabolas compellantur,quæ ad dispositionem & transactionẽ,& passionem regni,iudicij,& resurrectionis prædicantur:atq; ita corporalia defendentur, ut corporalibus destinata, id est,non spiritalia, quia non figurata. Nam & ideo præstruximus tam corpus animæ,quàm & carnis obnoxium esse mercedibus pro communi operatione pensandis, ne corporalitas animæ occasionem subministrans figurarũ,corporalitatem carnis excludat: cũ utranq;

Argutissimi demutatores

26

Cõmentator Euangelij

partici

participem & regni,& iudicij,& resurrectionis oporteat credi:& nũc eò pergimus,uti corporalitatem carnalem proprie demonstremus à domino significari in omni resurrectionis mentione,salua animali,quã & ipsam pauci receperunt:In primis cum ad hoc ueniisse se dicit,uti quod perijt, saluum faciat.Quid dicis?periisse hominem?sine dubio.Totúm ne an ex parte?utique totum. Siquidem transgressio quæ perditionis humanæ causa est,tam animæ instinctu ex concupiscentia, quàm & carnis actu ex degustatione cõmissa,totum hominem elogio transgressionis inscripsit, atq; exinde merito perditionis impleuit. Totus itaq; saluus fiet,qui perit totus delinquendo:nisi si & ouis illa sine corpore amittitur,& sine corpore reuocatur. Nam si caro quoq; eius cum anima(quod pecus totum est) humeris boni pastoris aduehitur, ex utraq; utiq; substantia restituendi hominis exemplũ est. Aut quàm indignum deo, dimidium hominem redigere in salutem?penè minus facere, cum etiam secularium principum plena semper indulgentia uindicetur.Diabolus ualentior in hominis iniuriam intelligitur, totum eum elidens:deus infirmior renunciabitur, non totum eum releuans. Atqui & Apostolus suggerit : Vbi delictum abundauerit,illic gratiã superabundasse.Quomodo deniq; saluus habebitur,qui poterit & perditus?carne scilicet perditus,anima uero saluus:nisi quod iam & anima in perdito constituatur necesse est,ut salua effici possit.id enim saluum effici oportebit,quod perditum fuerit.Porrò autem recipimus animæ immortalitatem, ut perdita non in interitum credatur,sed in supplicium,id est in gehennam.Etsi ita est, iam non animam spectabit salus saluam scilicet sua natura per immortalitatem, sed carnem potius quàm interibilem constat apud omnes. Aut si & anima interibilis,id est,nõ immortalis qd' & caro,iam & carni forma illa ex æquo proficere debebit,proinde mortali & interibili : quia id quod perit, saluum facturus est dominus.Nolo nunc contentioso fune deducere, hac, an illac hominem perditio depostulet,dum utrinq; eũ salus destinet,in ambas substantias peræquata.Ecce enim ex quacunq; substantia hominẽ periisse prę sumpseris,ex altera non perit.Saluus ergo erit iam ex qua non perit, & saluus nihilominus fiet,ex qua perit. Habes totius hominis restitutionẽ:dum & quodcunq; eius perit,saluum facturus est dominus:& quodcunq; nõ perit,utiq; non erit perditurus.Quis ultra de utriusq; substantiæ securitate dubitabit,cum altera salutem consecutura sit? Et tamen adhuc sensum rei exprimit dominus:ego,dicens,ueni non ut meam,sed ut patris, qui me misit, faciam uoluntatem. Quam oro te?ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo quicquam, sed resuscitem illud in nouissima die. Quid à patre Christus acceperat,nisi quod & induerat?hominem sine dubio,carnis animæq; texturam.Neutrum ergo eorum quæ accepit perire patietur:imò nec quicquam utriusq;,imò nec modicum.Quod si modicũ caro, ergo nec carnem:

Elogio transgressionis inscripsit

Indulgentia 27

Interibilis caro

Contentioso fune deducere Prouerbium

quia

quia nec modicum, nec quicquam. Atqui si non & carnem resuscitabit nouissima die, iam non modicum patietur perire de homine, sed pro tanta dixerim parte propè totum. Ingerens amplius: Hoc est patris uoluntas, ut omnis qui aspicit filium & credit in eum, habeat uitam æternam: & suscitem illum nouissima die: plenitudinẽ extruit resurrectionis. distribuit enim utrique substantiæ per officia propriam mercedem salutis: & carni per quam † filius hominis aspiciebatur, & animæ per quam credebatur. Ergo dices, illis erit promissa res, à quibus Christus uidebatur. Sit planè ita, ut & ad nos eadem spes inde manauerit. Nam si uidentibus & idcirco credẽtibus fructuosa tunc fuerunt opera carnis atq; animæ, multo magis nobis. Feliciores em̃ qui non uident & credent, quando & si illis negaretur carnis resurrectio certe felicioribus competisset. Quomodo enim felices, si ex parte perituri? Sed & præcipit, eum potius timendum, qui corpus & animam occidat in gehennam, id est dominum solum: non qui corpus occidant, animæ autem nihil nocere possint, id est humanas potestates. Adeo hic & anima immortalis natura recognoscitur, quæ nõ possit occidi ab hominibus: & carnis esse mortalitatem, cuius sit occisio: atque ita resurrectionem quoq; mortuorum carnis esse, quæ in gehennam nisi resuscitata non poterit occidi. Sed quoniam & hic de interpretatione corporis quæstio cauillatur, ego corpus hominis non aliud intelligam, quàm omnẽ istam struem carnis, quoquo genere materiarũ concinnatur atq; uariatur, quod uidetur, quod tenetur, quod denicq; ab hominibus occiditur. Sic & parietis corpus nõ aliud admittam quàm cæmenta, quàm saxa, quàm lateres. Si quis arcanum aliquod corpus inducit, ostendat, reuelet, probet ipsum esse etiam quod occidatur ab homine, & de illo erit dictum. Item si animæ corpus opponitur, uacabit astutia. Cum em̃ utrunq; proponitur, corpus atq; animam occidi in gehennam, distinguitur corpus ab anima, & relinquitur corpus. Intellige id quod in promptu sit, caro scilicet: quæ sicut occidetur in gehennam, si non magis à deo timuerit occidi: ita & uiuificabitur in uitam æternam, si maluerit ab hominibus potius interfici. Proinde si quis occisionem carnis atq; animæ in gehennam, ad interitum & finem utriusq; substantiæ arripiet: non ad supplicium quasi consumendarum, non quasi puniendarũ: recordetur ignem gehennæ æternum prædicari, in pœnam æternam, & inde æternitatẽ occisionis agnoscat, propterea humanæ ut temporali prætimendam. Tunc & æternas substantias credet, quarum æterna sit occisio in pœnam. Certè cum post resurrectionẽ corpus cum anima occidi habeat in gehennam, satis de utroq; constabit, & de carnali resurrectione, & de æterna occisione. Absurdissimum alioquin si idcirco resuscitata caro occidatur in gehennam, uti finiatur, quod & non re-
28 suscitata pateretur. In hoc scilicet reficietur ne sit, cui non esse iam euenit. Eidem nos spei fulciens, passerum quoq; subiungit exemplũ, quod ex duo-

bus

† aliàs, filius aspiciebatur

bus non cadat alter in terram sine dei uoluntate: ut & carnem quæ ceciderit in terram, proinde credas & resurgere posse per eiusdem dei uoluntatem. Nam & si passeribus hoc non licet: sed nos multis passeribus antestamus, eo quod cadentes resurgamus. Quorum denique capillos capitis omnes numeratos adfirmans, saluos utique repromittit. Perituros enim quę ratio in numerum redegisset: nisi quia hoc est, ut omne quod pater mihi dedit, nō perdam ex eo quicquam: id est, nec capillum. sicut nec oculum, nec dentem. Cæterum unde erit fletus & dentium frendor, nisi ex oculis & ex dentibus: occiso scilicet etiam corpore in gehennam, & detruso in tenebras exteriores, quæ oculorum propria sunt tormenta. Si quis in nuptijs minus dignis operibus fuerit indutus, constringendus statim manibus & pedibus, utpote qui cum corpore surrexerit. Sic ergo & recumbere ipsum in dei regno, & sedere in thronis Christi, & assistere tunc ad dexteram uel siniſtram, & edere de ligno uitæ, corporalis dispositionis fidelissima indicia sunt. Videamus nūc an & Sadducæorum uersutiam elidens, nostram magis sententiam erexerit. Causa opinor quæstionis, fuit destructio resurrectionis. Siquidem Sadducæi neque animæ, neque carnis admittunt salutem: & ideo ex qua uel maxime specie resurrectionis fides labefactatur, ex ea argumentū problemati suo accommodauerunt: De carnis scilicet obtentu nupturæ nec ne post resurrectionem, sub eius mulieris persona quæ septē fratribus nupta, in dubio haberetur, cui eorum restitueretur. Porrò seruentur sensus tam quæstionis q̄ responsionis, & controuersiæ occursum est. Si enim Sadducæi quidem respuebant resurrectionem, dominus autem eam confirmat, & scripturarum ignaros increpans, earum scilicet quæ resurrectionem prædicassent, & uirtutis dei incredulos, idoneæ utique mortuis resuscitandis, postremo subijciens, Quàm autē mortui resurgant: sine dubio & confirmando esse quod negabatur, id est resurrectionem mortuorum apud dominum uiuorum, talem quoque eam cōfirmabat esse, qualis negabatur, utriusque scilicet substantię humanæ. Neque enim si nupturos tunc negauit, ideo nec resurrecturos demonstrauit. Atqui filios resurrectionis appellat, ut per eam quodammodo nasci habentes, post quam non nubent, sed resuscitati: similes enim erunt angelis, quâ non nupturi, quia nec morituri, sed quâ transituri in statum angelicum, per indumentum illud incorruptibilitatis, per substantiæ resuscitatæ tamen demutationem. Cæterum nec quæreretur nupturi, siue morituri nec ne rursus essemus, si nō eius uel maxime substantiæ restitutio in dubium uocaretur, quæ proprie & morte & nuptijs fungitur, id est carnis. Habes igitur dominum confirmantem aduersus hæreticos Iudæorum, quod & nunc negatur apud Sadducæos Christianorum, solidam resurrectionem. Licet si carnem ait nihil prodesse, ex materia dicti dirigēdus est sensus. Nam quia durum & intolerabilem existimauerūt sermonem eius quasi uere carnē suam

Frendor

Sadducæi

ὅτι δὲ ἐγείρονται οἱ νεκροὶ
Quod autem mort. resurg. Lucæ xx. Verba Christi

Hæretici Iudæorum.
Sadducæi. Christianorū

illis edendam determinasset:ut in spiritum disponeret statũ salutis, præmisit:Spiritus est qui uiuificat.Atq; ita subiunxit: Caro nihil prodest, sed ad uiuificandum:scilicet exequitur etiã quid uelit intelligi spiritum: Verba quę locutus sum uobis,spiritus sunt,uita sunt:sicut & supra: Qui audit sermones meos,& credidit in eum qui me misit,habet uitam æternam, & in iudicium non ueniet,sed transiet de morte ad uitam. Itaq; sermonem constituens uiuificatorem,quia spiritus & uita sermo, eundem etiam carnem suam dixit; quia & sermo caro erat factus,proinde in causam uitæ adpetendus, & de-
29 uorandus auditu,& ruminandus intellectu,& fide digerendus.Nam & paulo ante carnem suam,panem quoq; cœlestem pronunciarat,urgens usque quaq; per allegoriam necessariorum pabulorum, memoriam patrum,qui panes & carnes Ægyptiorum præuerterant diuinæ uocationi.Igitur cõuersus ad recogitatus illorũ,quia senserat dispergendos,caro,ait, nihil prodest. Quid hoc ad destruendam carnis resurrectionem? quasi non liceat esse aliquid,quod & si nihil prosit,aliud tamẽ ei prodesse possit. Spiritus prodest, uiuificat enim. Caro nihil prodest,mortificatur enim. Itaq; secundum nos magis collocauit utriusq; propositionem. Ostendens enim quid prosit, & quid non prosit,pariter inluminauit,quid cui prosit:spiritũ scilicet carni mortificatę uiuificatorem. Veniet enim hora,inquit,cum mortui audient uocem filij dei:& qui audierint,uiuent. Quid mortuum,nisi caro? & quid uox dei, nisi sermo? Et quid sermo, nisi spiritus? Merito carnem resuscitaturus quod factum est ipse,& ex morte quam passus est ipse, & ex sepulchro quò illatus est ipse.Deniq; cum dicit:Ne miremini quod ueniet hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient uocem filij dei,& procedent: qui bona fecerunt, in uitæ resurrectionem: qui mala, in resurrectionem iudicij: Nemo iam poterit aliud mortuos interpretari,qui sint in monumentis, nisi corpora & carnem: quia nec ipsa monumenta aliud, quàm cadauerum stabula. Siquidem & ipsi homines ueteres,id est peccatores:id est,mortui per ignorantiam dei,quos monumenta intelligendos argumentãtur hæretici,de monumentis processuri in iudicium,aperte prædicantur. Cæterum quomodo de monumentis monumenta procedent? Post dicta domini,facta etiã eius quid sapere credamus,de capulis,de sepulchris mortuos resuscitantis? Cui rei istud? Si ad simplicem ostentationem potestatis, aut ad præsentem gratiam redanimationis,nõ adeo magnũ illi,denuo morituros suscitari. Enimuero si ad fidẽ potius sequestrandam futuræ resurrectionis,ergo & illa corporalis præscribitur de documenti sui forma.Nec sustinebo dicentes, idcirco tunc resurrectionem animæ soli destinatam,in carnem quoq; præcucurrisse,quia non potuisset aliter ostendi resurrectio animæ inuisibilis, nisi per uisibilis substantiæ resuscitationem. Male deum norunt, qui nõ putant illũ posse,quod non putant,& tamen sciunt potuisse, si instrumentum Ioannis

Stabula cadauerum monumenta

Instrumentũ Apocal. Ioan.

norunt

norunt. Qui enim animas adhuc solas martyrum sub altari quiescentes conspectui subdidit, posset utique & resurgentes oculis exhibere sine carne. At ego deum malo decipere non posse, de fallacia solummodo infirmum, ne aliter documēta præmisisse quàm rem disposuisse uideatur: imò ne si exemplum resurrectionis sine carne non ualuit inducere, multo magis plenitudinem exempli in eadem substantiā exhibere non possit. Nullum uero exemplum maius est eo, cuius exemplum est. Maius est autem, si animę cum corpore resuscitabuntur in documentum sine corpore resurgendi, ut tota hominis salus dimidiæ patrocinaretur: quando exemplorum cōditio illud potius expeteret quod minus haberetur, animę dico solius resurrectionem, uelut gustum carnis etiam resurrecturę suo in tempore. Atq; adeo, secundum nostram uero ęstimationem, exempla illa mortuorum à domino suscitatorum, commendabāt quidem & carnis & animæ resurrectionem, ne cui substantiæ negaretur hoc donum: quæ tamen exempla eo minus aliquid ædebant (non enim in gloriam, nec incorruptibilitatem, sed in mortem aliam suscitabātur) quàm ediderit Christus. Resurrectionem apostolica quoq; instrumenta testantur. Nam & Apostolis nullum aliud negocium fuit duntaxat apud Israelem, quàm ueteris testamenti resignandi & noui consignandi, & potius iam dei in Christo concionandi. Ita & de resurrectione nihil noui intulerant, nisi quod & ipsam in gloriam Christi annunciabant, de cætero simplici & nota iam fide receptam sine ulla qualitatis quæstione, solis refragantibus Sadducęis: adeo facilius fuit negari in totum mortuorum resurrectionem, quàm aliter intelligi. Habes Paulum apud summos sacerdotes sub tribuno inter Sadducæos & Pharisæos, fidei suæ professorem: Viri, inquit, fratres, ego pharisæus sum, filius pharisæorum, de spe nunc & de resurrectione iudicor apud uos: utiq; ne, quia iam transgressor legis uidebatur, de præcipuo fidei totius articulo, id est de resurrectione ad Sadducæos sapere existimaretur. Ita quam nolebat uideri rescindere fidem resurrectionis, utiq; confirmabat secundum pharisæos, respuens negatores eius Sadducæos. Proinde & apud Agrippam nihil se ait proferre, citra quàm prophetæ annunciassent. Ergo seruabat resurrectionem quoq; qualē prophetæ annunciarant. Nam & de resurrectione mortuorum apud Moysen scriptum commemorans, corporalem eam norat, in qua scilicet sanguis hominis exquiri habebit. Itaq; talem prædicabat, qualem & pharisæi susceperāt, & dominus ipse defenderat, & Sadducæi ne talē quoq; crederent, in totum esse noluerant. Sed nec Athenienses aliam intellexerant à Paulo portendi. deniq; irriserant, nō irrisuri omnino si animæ solius restitutionem ab eo audissent. suscepissent enim uernaculæ suæ philosophiæ frequentiorem præsumptionem. At ubi Nationes præconium resurrectionis inauditæ retro, ipsa nouitate concussit, & digna incredulitas rei tantæ quæstionibus fidem

Apostolica instrumenta.

Apostolorum negocium.

Resignare uetus,

Cōsignare nouum

Athenienses

Vernacula Athenienſiū philosophia

extorquere cœpit:tunc & Apoſtolus per totum penè inſtrumentum fidem huius ſpei corroborare curauit, & eſſe eam oſtẽdens,& nondũ tranſactam: & (de quo magis quærebatur) corporalem:& quod inſuper dubitabatur, non aliter corporalem. Nihil autem mirũ,ſi & ex ipſius inſtrumento capten tur argumenta,cum oporteat hæreſes eſſe, quæ eſſe non poſſent, ſi non & perperam ſcripturæ intelligi poſſent. Natæ deniq; hæreſes, duos homines ab Apoſtolo æditos interiorem,id eſt animam:& exteriorem,id eſt carnẽ: ſalutem quidem animæ,id eſt interiori homini: exitiũ uero carni,id eſt exteriori adiudicauerũt:quia ſcriptum ſit Corinthijs:Nam & ſi homo noſter exterior corrumpitur,ſed interior renouatur de die & die. Porrò nec anima per ſemetipſam homo, quæ figmento iam homine appellato poſtea inſerta eſt:nec caro ſine anima homo,quæ poſt exilium animæ cadauer inſcribi tur. Ita uocabulum homo, conſertarum ſubſtantiarum duarum quodammodo fibula eſt,ſub quo uocabulo non poſſunt eſſe niſi cohærentes. Porrò Apoſtolus interiorem hominem non tam animam quàm mentẽ atq; animum intelligi mauult,id eſt,nõ ſubſtantiã ipſam,ſed ſubſtantiæ ſaporẽ. Si-

Interior homo apud Paulum 31

quidem Epheſijs ſcribens in interiorẽ hominem habitare Chriſtũ,ſenſibus utiq; intimandum dominũ ſignificauit. Deniq; adiũxit: Per fidem,& in cordibus ueſtris & in dilectione. Fidem quidẽ & dilectionẽ,nõ ſubſtantiua animæ ponens,ſed cõceptiua. In cordibus aũt dicens quæ ſubſtantiua ſunt carnis,iam & ipſum interiorẽ hominem carni deputauit,quem in corde conſtituit. Inſpice nunc quomodo exteriorem quidem hominẽ corrumpi allegaret,interiorem uero renouari die ac die. Nec illã corruptelã carnis affirmes, quã ex die mortis in perpetuũ defectura patiatur:ſed quã in iſtius uitę ſpacio ante mortẽ & uſq; ad mortẽ uexationibus & preſſuris, tormentis atque ſupplicijs,nominis cauſa experietur. Nam & homo interior hic utiq; renouari habebit per ſuggeſtũ ſpiritus,proficiens fide & diſciplina die ac die:nõ illic,id eſt nõ poſt reſurrectionẽ:ubi nõ utiq; die ac die renouari habemus, ſed ſemel ad ſummã. De ſequẽtibus diſce: Quod eñ ad præſens eſt,inquit, temporale & leue preſſuræ noſtræ ſupergreſſum inſupergreſſum æternum glorię pondus perfici à nobis:nõ ut tuentibus quæ uidẽtur,id eſt paſſiones, ſed quæ nõ uidentur,id eſt mercedes. Quæ enim uidentur,temporalia ſunt: quæ uero nõ uidentur æterna ſunt. Preſſuras eñ & læſuras quibus corrumpitur homo exterior,ut leues & temporales,idcirco cõtemnendas affirmat, præferens mercedum æternarũ inuiſibilium & gloriæ pondus in cõpenſationem laborũ,quos hic caro patiendo corrũpitur. Adeo non illa eſt corruptio,quã in perpetuũ carnis interitũ, ad reſurrectionẽ expellendã exteriori homini aſſcribũt. Sic & alibi: Siquidẽ,ait,cõpatimur,uti & conglorificemur. Reputo enim nõ dignas eſſe paſſiones huius temporis,ad futurã gloriam, quæ in nos habet reuelari. Et hic minora oſtendit incõmoda præmijs ſuis.

Per nomẽ hic intelligit, profeſſionẽ Chriſtianam

Porrò

Porrò si per carnem compatimur cuius est proprie passionibus corrumpi, eiusdem erit & quod pro compassione promittitur. Atq; adeo carni asscri- 32
bit pressurarũ proprietatem, ut & supra dicat: Cũ uenissemus autem in Macedoniam nullã remissionem habuit caro nostra. Dehinc ut & animæ daret compassionem: In omnibus, inquit, compressi, Extrinsecus pugnę, debellantes scilicet carnem: intrinsecus timor, afflictans scilicet animam. Adeo & si corrumpitur homo exterior, non amittens resurrectionẽ, sed ut sustinens uexationem corrumpi intelligeretur, & hoc nõ sine interiore. Ita amborum erit etiam conglorificari, sicut & compati. Secundum collegia laborum, consortia quoq; decurrant necesse est præmiorum. Eandem ad hoc sententiam exequitur, remunerationes uexationibus præferens. Scimus enim, inquit, quoniam & si terrena domus nostri tabernaculi dissoluatur, habemus domum non manufactam æternam in cœlis. id est, pro hoc dissoluetur caro nostra per passiones, quod domicilium consecuturi sumus in cœlis. Memi-
nerat euangelicæ diffinitionis. Beati qui persecutionem patiũtur propter iustitiam, quia illorum esset regnum cœlorum. Non tamen carnis restitutionem negauit, si compensationem mercedis opposuit, cum ipsi compensatio debeatur cui dissolutio reputatur, scilicet carni. Sed quia domũ dixerat, carnem, elegãter uoluit & in mercedis comparatione uocabulo domus uti, ipsi domui quę dissoluetur per passionem meliorem domum repromittens per resurrectionẽ. Nam & dominus multas mansiones quasi domus, apud patrem repromittit. Quanquam de domicilio mundi potest intelligi, quo dissoluto æterna sedes repromittatur in cœlis: quia & quæ sequuntur ad carnẽ manifeste pertinentia ostendunt priora non ad carnem pertinere. diuisionem enim facit apostolus cũ subiicit. Nam & hoc gemimus domicilium nostrum, quod de cœlo est superindui desiderantes, siquidem exuti non nudi inueniamur. id est, ante uolumus superinduere uirtutem cœlestem æternitatis, quàm carne exuamur: huius enim gratię priuilegium illos manet, qui ab aduentu domini deprehendentur in carne, & propter duritias temporũ antichristi merebuntur compendio mortis per demutationem expunctæ concurrere cum resurgentibus, sicut Thessalonicensibus scribit, Hoc enim dicimus uobis in sermone domini, quod nos qui uiuimus qui remanemus in aduentu domini, non præueniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse dominus in iussu & in uoce angeli tuba dei, descendet de cœlo, & mortui in Christo resurgent primi. Dehinc nos cum ipsis simul rapiemur in nubibus obuiam Christo, & ita semper cũ domino erimus. Horum demutationem ad Corinthios reddit dicens. Omnes quidem resurgemus, non aũt omnes demutabimur, in atomo, in momentaneo motu oculi, in nouissima tuba: Sed illi scilicet soli qui inuenientur in carne. Et mortui, inquit, resurgent, nos demutabimur. Hac ergo prius positione prospecta, reliqua reuocabis ad su- Positio

periorem ſenſum. Nam cum adiicit, Oportet enim corruptum iſtud induere incorruptelam, & mortale iſtud induere immortalitatem, hoc erit illud domicilium de cœlo quod gementes in hac carne ſuperinduere deſideramus, utiq; ſuper carnem in qua deprehendemur, quia grauari nos ait, qui ſimus in tabernaculo, quod nolimus exui, ſed potius ſuperindui, uti deuoretur mortale à uita: ſcilicet dum demutatur, ſuperinduendo quod eſt de cœlis. Quis enim non deſiderabit dum in carne eſt ſuperinduere immortalitatem, & cõtinuare uitam lucrifacta morte per uicariam demutationẽ, ne inferos experiatur, uſq; nouiſſimũ quadrantem exacturos? Cæterum demutationem etiã poſt reſurrectionem cõſecuturus eſt, inferos iam expertus. Abhinc enim definimus carnem omni modo quidem reſurrecturam, atq; illa ex demutatione ſuperuentura habitũ angelicum ſuſcepturam. Aut ſi in his ſolis qui inuenientur in carne demutari eam oportebit, ut deuoretur mortale à uita, id eſt caro ab illo ſuperindumento cœleſti, æterno: ergo qui mortui deprehendentur uitã non conſequentur, priuati iam materia, & ut ita dixerim eſca uitæ, id eſt carne. Aut neceſſe eſt recipiant eã & illi: ut & in ipſis mortale deuorari poſſit à uita, ſi uitã ſunt cõſecuturi. Sed in mortuis, inquis, iam
33 deuoratum erit mortale iſtud. Non utiq; in omnibus. Quantos enim licebit uel pridianos inueniri, tam recentia cadauera, ut nihil illis deuoratũ uideri poſſit. Vtiq; enim deuoratum non aliud exiſtimas quàm interceptũ, quàm abolitum, quàm omni ſenſu ereptum: quod comparêre omni genere ceſſauerit. Nec gigantum autem antiquiſſima cadauera deuorata cõſtabit, quorum crates adhuc uiuunt. Diximus iam de iſto alibi. Sed & proximè in iſta ciuitate cũ eo die fundamenta tot ueterum ſepulturarum ſacrilega conlocarentur, quingentorũ ferè annorũ oſſa adhuc ſuccida, & capillos olentes populus exhorruit. Conſtat non tantum oſſa durare, uerũ & dentes incorruptos perennare, quæ ut ſemina retinentur fructificaturi corporis in reſurrectione. Poſtremo & ſi tũc deuoratum inuenietur mortale in omnibus mortuis certe à morte, certe ab æuo, certe per ætatem, nunquid à uita, nunquid à ſuperindumento, nunquid ab immortalitatis ingeſtu? Porrò quia his ait deuoratum iri mortale, ab aliis negauit. Et utiq; hoc à diuinis uiribus, non à naturalibus legibus perfici præſtariq; cõueniet. Ergo cũ à uita habeat deuorari quod mortale eſt, id exhiberi omnifariã neceſſe eſt ut deuoretur, & deuorari ut demutetur. Si ignem dicas accendi oportere, nõ potes id per quod accenditur alibi neceſſarium adfirmare, alibi non. Sic & cum infulcit: Siquidem exuti nõ inuenientur nudi, de eis ſcilicet qui nõ in uita, nec in carne deprehendentur à die domini: nõ aliàs negauit nudos, quos prædixit exutos, niſi quia reueſtitos uoluit intelligi eadem ſubſtantia, qua fuerãt ſpoliati. Vt nudi eñ, inuenientur: carne depoſita, uel ex parte diſciſſa ſiue detrita. Et hoc enim nuditas poteſt dici. Dehinc recipient eam, ut redinduti carne fieri poſ-

Gigantũ crates.

De Carthagine loquitur, ut puto

ſint

sint etiam superinduti immortalitatem. Superindui enim nisi uestito iam cõ uenire non potest. Proinde cum dicit: Itaq; confisi semper, & scientes quod cum immoremur in corpore, peregrinemur à domino: per fidem enim incedimus non per speciem: Manifestum est hoc quoq; non pertinere ad offuscationem carnis quasi separantis nos à domino quàmdiu uiuimus, Per fidem incedentes, non per speciem, id est spe, non re: & ideo subiungit: Fidentes autem & bonum ducentes magis peregrinari à corpore & immorari ad dominum, scilicet ut per speciem magis incedamus quàm per fidẽ, per rem potius quàm per spem. Vides quàm & hic corporum cõtemptum ad martyriorum præstantiam referat. Nemo enim peregrinatus à corpore statim immoratur penes dominum, nisi ex martyrij prærogatiua, scilicet paradiso non Inferis deuersurus. Defecerant autem Apostolo uerba ad significandum de corpore excessum? An ratione etiam nouè loquitur? temporalem enim absentiam à corpore uolens significare, peregrinari nos ab eo dixit, quoniam qui peregrinatur etiam reuertetur in domicilium. Exinde etiam ad omnes, gestimus, inquit, siue peregrinantes, siue immorantes placibiles deo esse. Omnes enim manifestari nos oportet pro tribunali CHRISTI IESV. Si omnes, & totos. si omnes & interiores & exteriores, id est tam animas quàm & corpora: uti unusquisq;, inquit, reportet per corpus secundũ quæ gessit bonum siue malum. Hoc iam quomodo legas, quæro: quasi turbate enim per hyperbaton instruxit, utrúm ne quæ per corpus reportanda erunt, an quæ per corpus gesta sunt. Sed & si quæ per corpus reportanda sunt, corporalis indubitate resurrectio est: & si quæ per corpus gesta sunt, per corpus utiq; pensanda sunt, per quod & gesta sunt. Ita totus hic à capite tractatus apostoli tali clausula detextus qua carnis resurrectio ostenditur, secundum hæc erit intelligendus quæ cum clausula consonant. Si enim adhuc ad superiora respectus, unde mẽtio hominis exterioris & interioris inducta est, nónne & dignitatem & spem carnis integram inuenies? Cũ enim de lumine quod illuxerit deus in cordibus nostris ad illuminationem agnitionis gloriæ suæ in persona Christi, dicit habere nos thesaurũ istum in testaceis uasis, scilicet in carne: utrúmne quia testacea est secundum originem in limo destruetur, an quia diuini thesauri conditorium est, extolletur? Atqui si lumen ipsum illud uerum quod est in persona Christi, uitam in se continet, eaq; uita cum lumine committitur in carnem, peritura est in quã uita cõmittitur. Planè sic perituris & ipse thesaurus. perituris emẽ peritura creduntur, sicut ueteribus utribus nouũ uinum. Cũ item subijcit: semper mortificationem Christi Iesu circũferentes in corpore nostro, qualis ista res est quæ post dei templũ, iã & sepulchrũ Christi potest dici? Cur aũt mortificationẽ dñi circũferimus in corpore? ut & uita, inquit, manifestetur. Vbi? in corpore In quo? in mortali, ergo in carne plane mortali, secundum culpã, sed & uitali

Martyria

34

Deuersurus, & diuersurus

Conditorium diuini thesauri

secundum gratiam, uide quantam, ut in illa uita Christi manifestetur. In re
55 ergo aliena salutis, sed in substantia perpetuæ dissolutionis manifestabitur uita Christi æterna, iugis, incorrupta, iam & dei uita? aut cuius temporis uita domini manifestabitur in corpore nostro, illa quidem qua uixit usque in passionem quæ non modo apud Iudæos in manifesto fuit, uerum etiam omnibus nunc gentibus prodita est? Adeo eam significat quæ portas adamantinas mortis, & æneas seras Inferorũ infregit, quæ exinde iam nostra est. Deniq; manifestabitur in corpore. quando? post mortem. quomodo? dum resurgimus in corpore, sicut & Christus. Ne enim quis argumentetur nunc habere manifestari uitam Iesu in corpore nostro per disciplinam sanctitatis & patientiæ, & iustitię, & sapientiæ quibus domini uita floruerit, prouidentissima apostoli intentio ingerit: Si enim nos qui uiuimus, in mortem tradimur propter Iesum, ut uita eius manifestetur in corpore nostro mortali, ideo defunctis nobis hoc ait futurum in corpore nostro. Quod si tunc, quo modo nisi resuscitato eo? proinde & in clausula, sciẽtes, ait, qd' qui suscitauit Iesum, & nos suscitabit cum ipso, quia iam resurrexerit à mortuis: nisi quia cum ipso sicut ipsum sapit. Si uero sicut ipsum, nõ utiq; sine carne. Sed & rursus alia cæcitate in duos homines impingunt in ueterem & in nouum, monente Apostolo, deponere nos ueterem hominem qui corrumpitur per concupiscentiam seductionis, renouari autem spiritu sensus, & induere nouum hominem qui secundum deum conditus est, in iustitia, & religione ueritatis: ut & hic ad duas substantias distinguendo, uetustatem ad carnem, nouitatem ad animam, corruptionem perpetuam ueteri defendat, id est carni. Porrò si secundum substantias: nec anima nouus homo, quia posterior: nec caro ideo uetus, quia prior. quantulum enim temporis inter manũ dei & adflatum? ausim dicere etiamsi multo prior anima caro, eo ipso quod anima impleri se expectauit, priorem eã fecit. Omnis enim consummatio atq; perfectio, & si ordine posthumat, effectu anticipat. Magis illud prius est, sine quo priora nõ possunt. Si caro uetus homo, quando istud à primordio: atqui Adam nouus totus, & ex nouo uetus nemo: nam & exinde à benedictione genituræ, caro atq; anima simul fiunt sine calculo temporis, ut quæ simul in utero etiam seminãtur, quod docuimus in commentario animæ, cõtemporant fœtu, coætant natu, duos istos homines sanè ex substãtia duplici non tamen & ætate, sic unũ edunt, dum prior neuter. Citius est, totos nos aut ueteres aut nouos esse: qua enim alterum possidemus, alterum esse nescimus. Sed Apostolus ueterem hominem manifeste notat. Expone enim, inquit, secundum pristinam conuersationem ueterem hominem non secundum alicuius substantiæ senium. Neq; enim carnem præcipit deponamus, sed quæ & alibi carnalia ostendit, opera nõ corpora accusans, de quibus & hic subiicit: deponentes mendacium, loquimini ueritatẽ unusquisq; ad proximum

Adamantinæ portæ. Aeneæ seræ Inferorum

Cum ipso, hoc est sicut ipsum

A benedictione genituræ

Libellus de anima

ximum ſuum,quoniam membra alterutrum ſumus.Iraſcimini autẽ, & no-
lite delinquere.Sol non occidat ſuper iracundiam ueſtram. Neq; dederitis
diabolo locum.Qui furabatur,iam nõ furetur.imò potius laboret operan-
do manibus uti habeat inpartire indigenti.Omnis ſermo turpis non proce-
dat ex ore ueſtro,ſed qui ſit optimus ad ædificationem fidei,ut gratiam au
dientibus præſtet.Et nolite contriſtare ſpiritum dei ſanctum in quo ſignati
eſtis,in redemptionis die.Omnis amaritudo & ira,& clamor,& blaſphemia,
auferatur à uobis,cum omni malicia. Eſtote autem in alterutrum benigni,
miſericordes,donantes inuicem,ſicut & deus uobis donauit in Chriſto.Igi-
tur qui carnem ueterem hominem exiſtimant,cur non mortem ſibi prope-
rant,ut uetere homine depoſito præceptis Apoſtoli occurrant? Nos enim
qui totam fidem in carne adminiſtrandam credidimus, imò & per carnem
cuius eſt & os ad proferendum optimum quenq; ſermonem, & lingua ad
non blaſphemandum,& cor ad non indignandum,& manus ad operandũ
& largiendum,tam uetuſtatem hominis quàm nouitatem,ad moralem nõ
ad ſubſtantialem differentiam pertinere defendimus. Atq; ita pariter agno
ſcimus hominem,qui ſecundum priſtinam cõuerſationem uetus fuerit, eun
dem & corrumpi,ita dictum ſecundum concupiſcentiã ſeductionis, quem-
admodum & ueterem ſecundum priſtinam cõuerſationem,non ſecundum
carnem per interitum,perpetuum. Cæterum carne tam ſaluum quàm eun-
dem:utpote uitioſam diſciplinam,non corpulentiam exutum. Talem ubiq;
Apoſtolum recognoſcas,ita carnis opera damnantem,ut carnem damnare
uideatur:ſed ne ita quis exiſtimet,ex aliorum uel cohærentium ſenſuũ ſug-
geſtu procurantẽ.Nam & dicens eos qui in carne ſint deo placere non poſ-
ſe,ſtatim de prauo intellectu ad integrum reuocat,adĳciens:Vos autẽ non
eſtis in carne,ſed in ſpiritu.Eos enim quos in carne eſſe conſtabat,negando
in carne eſſe,in operibus carnis non eſſe monſtrabat. Atq; ita illos demum
deo placere non poſſe: non qui in carne eſſent, ſed qui carnaliter uiuerent:
placere autem deo illos qui in carne poſiti,ſecũdum ſpiritum incederent. Et
rurſus:Corpus quidem ait mortuum,ſed propter delinquentiam:ſicut ſpi-
ritum uitam propter iuſtitiam.Vitam autem morti opponens in carne con-
ſtitutæ,ſine dubio illic & uitam repromiſit ex iuſtitia, ubi mortem determi-
nauit ex delinquentia. Cæterum fruſtra oppoſuit uitam morti,ſi nõ eſt illic
ubi eſt & ipſa cui eam oppoſuit excludendæ utiq; de corpore. Porrò ſi uita
mortem de corpore excludit, non poteſt id perficere,niſi illud penetret ubi
eſt quod excludit.Et quid ego nodoſius,cũ Apoſtolus abſolutius? Si em̃,
inquit,ſpiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum, habitat in uobis: qui ſuſcitauit Ie-
ſum à mortuis,ſuſcitabit & mortalia corpora ueſtra propter inhabitantem
ſpiritum eius in uobis:ut & ſi animam quis corpus mortale præſumpſerit,
cum hoc & carnem negare nõ poſſit, carnis quoq; reſuſcitationem cogatur

Moralis tantum differentia inter uetuſtatẽ hominis & nouitatem

agno

agnoſcere ſecundum eiuſdem ſtatus cõmunionem. Ex ſequentibus adhuc diſcas opera carnis damnari, nõ ipſam. Itaq; fratres, ait, debitores ſumus nõ carni ad uiuendum. ſi ſecundum carnem uixeritis, futurũ eſt ut moriamini: ſi uero ſpiritu carnis actus mortificaueritis, uiuetis. Porrò ut ad ſingula quæq; reſpondeam, ſi in carne conſtitutis ſecundum ſpiritum tamen degentibus ſalus repromittitur, iam nõ caro aduerſatur ſaluti, ſed operatio carnis. Operatione autem carnis excluſa quæ cauſa eſt mortis, ſalua iam caro oſtenditur cauſa carens mortis. Lex enim, inquit, ſpiritus uitæ in Chriſto Ieſu manumiſit me à lege delinquentiæ & mortis: certe quam præmiſit habitare in membris noſtris. Ergo iam mẽbra noſtra lege mortis nõ tenebuntur, quia nec delinquentiæ, à quibus manumiſſa ſunt. Quod enim inualidum erat legis in quo infirmabatur per carnem, miſſo deus filio ſuo in ſimulachro carnis delinquentiæ, & per carnem damnauit delinquentiam in carne, non carnem in delinquentia: neq; enim domus cum habitatore damnabitur. Habitare enim peccatum dixit in corpore noſtro. Damnata autem delinquentia caro abſoluta eſt: ſicut indemnata ea, legi mortis & delinquentiæ obſtricta eſt. Sic & ſi ſenſum carnis mortem appellauit, dehinc & inimicitiam ad deũ: ſed non carnem ipſam. Cui ergo, dices, reputabitur ſenſus carnis, ſi non ſubſtantiæ ipſi? Planè ſi probaueris aliquid carnem de ſuo ſapere. Si uero ſine anima nullius eſt ſenſus, intellige ſenſum carnis ad animã eſſe referendum, carni interdum deputatum, quia propter carnem & per carnem adminiſtratur: & ideo habitare ait delinquentiã in carne, quia & anima delinquentiæ inducitur. inquilina eſt carnis mortificatæ quidem, ſed non ſuo, uerum delinquentiæ nomine. Nam & alibi quomodo, inquit, etiam nunc uelut uiuentes in mundo ſententiam fertis? non ad mortuos ſcribens, ſed ad eos, qui deſinere deberent mundialiter uiuere. Hæc enim erit uita mundialis, quam uetere hominem dicit confixum eſſe Chriſto: non corporalitatem, ſed moralitatem. Cæterum ſi non ita accipimus, non eſt corporalitas noſtra confixa, nec crucẽ Chriſti caro noſtra perpeſſa eſt, quemadmodum adiecit, uti euacuetur corpus delinquentiæ, per emendationem uitæ, non per interitũ ſubſtantiæ, ſicut ait, uti hactenus delinquentiæ ſeruiamus. Et ut hac ratione cõmortui in Chriſto credamus quod etiam conuiuamus illi. Sic enim, inquit, & uos reputate mortuos quidem uos, Cuinam? carni? Non, ſed delinquentiæ. Ergo ſalui erunt carni, uiuentes autem deo in Chriſto Ieſu per carnem, utiq; cui mortui non erunt: delinquentiæ ſcilicet mortui, non carni. Nam & adhuc ingerit: Ne ergo regnauerit in corpore ueſtro mortali delinquentia, ad obaudiendum illi, & ad exhibendum membra ueſtra arma iniuſtitię delinquentiæ; Sed exhibete uoſmetipſos deo uelut ex mortuis uiuos, non uelut uiuos, ſed uelut ex mortuis uiuos: & membra ueſtra arma iuſtitiæ. & rurſus, Sicut exhibuiſtis membra ueſtra famula immundiciæ, & iniquitatis ad

iniquita

iniquitatem,ita & nunc exhibete membra uestra famula iustitiæ in sanctifi cium. Cum enim serui essetis delinquentiæ,liberi eratis iustitiæ. Quem ergo fructum habebatis super his,de quibus nunc confundimini? finis ergo illo rum mors. Nunc uero liberi facti à delinquentia,famulati autem deo,habe tis fructum uestrum in sanctificium,finem autem uitam æternam. Stipen dia enim delinquentiæ mors,donatiuum autem dei,uita æterna in Christo Iesu domino nostro. Ita per portam hanc sensuum seriemq; ab iniustitia & delinquentia membra nostra diuellens, & iustitiæ & sanctimoniæ adiun gens,& transferens eadem à stipendio mortis ad donatiuum uitæ æternæ, carni utiq; compensationem salutis repromittit,cui nullam omnino compe tisset imperari propriam sanctimoniæ & iustitiæ disciplinam, si non ipsius esset & præmium disciplinæ:sed nec ipsum baptisma committi per regene rationem. Non etiam restitutioni inauguraretur,hoc quoq; Apostolo inge rente,An ignoratis quod quicunq; in Iesum tincti sumus,in mortẽ eius tin cti sumus:consepulti ergo illi sumus per baptisma in mortem, uti quemad modum surrexit Christus à mortuis,ita & nos in nouitate uitę incedamus. Ac ne de ista tantum uita putes dictum,quæ ex fide per baptisma in nouita te uiuenda est, prouidentissime adstruit: Si enim complantati fuerimus si mulachro mortis Christi,ita & resurrectionis erimus. Per simulachrũ enim morimur in baptismate,sed per ueritatem resurgimus in carne,sicut & Chri stus:ut sicut regnauit in morte delictum,ita & gratia regnet per iustitiam in uitam sempiternam,per Iesum Christum dominum nostrum. Quomodo ista si non æque in carne? ubi enim mors,ibi & uita post mortem:quia & ui ta ibi ante,ubi postea mors. Nam si regnũ mortis nihil operatur quàm car nis dissolutionem,proinde uitam contrariam morti,contrariũ oportet ope rari,id est carnis redintegrationem : uti sicut deuorauerat mors inualescen do,ita & mortali deuorato ab immortalitate,audire possit: Vbi est mors a culeus tuus? ubi est mors cõtentio tua? Sic enim & gratia illic superabunda bit,ubi & iniquitas abundauit. Sic & uirtus in infirmitate perficietur, quod perit saluum faciens,quod mortuum est uiuificans, quod percussum est sa nans,quod languit medicans,quod ereptum est redimens, quod famulatũ est liberans,quod seductum est reuocans,quod elisum est suscitans: & qui dem de terra in cœlum,ubi nostrum municipatum Philippenses quoq; ab Apostolo discũt. Vnde & salutificatorem nostrũ expectamus Iesum Chri stum,qui transfigurauit corpus nostræ humilitatis,conformale corpori glo riæ suæ:sine dubio post resurrectionem,quia nec ipse Christus glorificatus est ante passionem. Hæc erunt corpora nostra quæ Romanos obsecrat ex hibere,hostiam uiuam,sanctam, placibilem deo. Quomodo uiuam si peri tura sunt? quomodo sanctam,si prophana sunt? quomodo placibilia, si da mnata sunt? Age iam quod ad Thessalonicenses ipsius solis radio putẽ scri ptum

Sanctificium, nam Græcè est ἁγιασμόν.

Donatiuum.

Inaugurari restitutioni

Salutificator

Ipsius solis radio scriptum, ita claret

UNIVERSIDAD DE MURCIA

Lucifugæ scripturarum

ptum, ita claret, qualiter accipient lucifugæ isti scripturarũ: ipse autem deus pacis sanctificet uos totos? Non sufficit. sed sequitur, & integrum corpus uestrum, & anima & spiritus sine querela conseruentur in præsentia domini. Habes omnem substantiam hominis saluti destinatam, nec alio tempore quàm in aduentu domini, qui clauis est resurrectionis. Sed caro, inquis, & sanguis regnum dei hæreditate possidere non possunt. Scimus hoc quoq; scriptum, sed de industria distulimus hucusq;, ut quod aduersarij in prima statim acie obstruũt, in ultima congressione prosterneremus, omnibus quæstionibus quasi auxilijs eius ante deiectis. Sed & nunc expetent præcedentia recognosci, ut & huic sensui sua origo præiudicet. Vt opinor Apostolus disposita ad Corinthios omni distinctione ecclesiasticæ disciplinæ, summã & sui euangelij & fidei illorum in dominicę mortis & resurrectionis demandatione concluserat: ut & nostræ spei regulam inde deduceret, unde constaret. Itaq; subijcit: Si autem Christus prædicatur, quod à mortuis resurrexerit, quomodo quidam dicunt in uobis, resurrectionem mortuorum non esse? quæ si non est, nec Christus resurrexit. Si Christus nõ resurrexit, inanis est prædicatio nostra: inueniemur enim falsi testes dei, qui testimonium dixerimus quod resuscitauerit Christum, quem non resuscitauit. Nam si mortui non resurgunt, nec Christus resurrexit. Si Christus non resurrexit, uana est fides uestra, quia adhuc in delictis uestris estis. Et qui in Christo dormierunt, perierunt. Per hæc cui nos rei credendæ uidetur extruere? resurrectioni, inquis, mortuorum quæ negabatur. certè sub exemplo dominicę resurrectionis, uolens eam credi. certè, inquis. Exemplum porrò ex diuersitate an ex parilitate cõponitur? utiq;, inquis, ex parilitate. Quomodo autem Christus resurrexit, in carne, an non? sine dubio si mortuum, si sepultum audis secundum scripturas, non aliàs q̃ in carne, æque resuscitatũ in carne concedis. Ipsum enim quod cecidit in morte, quod iacuit in sepultura, hoc & resurrexit, non tam Christus in carne quàm caro in Christo. Igitur si ad exemplum Christi resurgemus, qui resurrexit in carne, iam nõ ad exemplum Christi resurgemus, si non in carne & ipsi resurgemus: quia per hominem, inquit, mors, & per hominem resurrectio, ut separet quidem autores, mortis Adam, Christum resurrectionis: eiusdem autem cõstitueret substantiæ resurrectionem cuius & mortem, per ipsorum autorum in nomine hominis comparationem. Si enim sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur, carne uiuificabuntur in Christo, sicut in Adam carne moriuntur. Vnusquisq; autem in suo ordine, scilicet quia & in suo corpore. Ordo enim meritorum, dispositorum nomine disponetur. Merita autem cum corpori quoq; adscribantur, ordo quoque corporum disponatur necesse est, ut possit esse meritorum. Si autẽ & baptizantur quidẽ pro mortuis, uidebimus an ratione certa illa præsumptione hoc eos instituisse portendit

Clauis resurrectionis

De hoc in ultimo contra Marcionem libro plenius

Exemplum

tendit,qua alij etiam carni ut uicarium baptiſma profuturum exiſtimarent ad ſpem reſurrectionis,quæ niſi corporalis,non niſi aliàs in baptiſmate corporali obligaretur.Qui & ipſos baptizari ait:id eſt,ſi nō q̃ baptizantur corpora reſurgunt? Animæ enim non lauatione,ſed reſpōſione ſancitur. Quid & nos,inquit,omni hora periclitamur,utiq; per carnem. Quotidie morior, utiq; periculis carnis,per quam & depugnauit ad beſtias Epheſi,illas ſcilicet beſtias Aſiaticæ preſſuræ de qua in ſecūda ad eoſdem: Nolumus enim uos ignorare fratres de preſſura noſtra apud Aſiam, quod ſuper quam ſupra grauati ſumus citra uires,uti de uita hæſitaremus.Omnia hæc,niſi fallor,eò enumerat,ut nolens uanam credi carnis conflictationē,indubitate uelit credi carnis reſurrectionē. Vana enim habenda eſt conflictatio eius,cuius nulla erit reſurrectio.Sed dicet quis. Quomodo reſurgent mortui,quo autem corpore uenient? Iam hic de qualitatibus corporum diſſerit, an eadem ipſa an alia reſumantur.Sed cum eiuſmodi quęſtio poſterior habeatur,ſufficiet interim ex hoc quoq; corporalem definiri reſurrectionem cum de qualitate corporum quæritur. Ventum eſt nunc ad carnem & ſanguinem reuera totius quæſtionis,quas ſubſtantias,quali conditione exhæredauerit,Apoſtoli æque de antecedentibus diſcere eſt.Primus,inquit, homo de terra Choicus,id eſt,limaceus,id eſt Adam. Secūdus homo de cœlo, id eſt ſermo dei, id eſt Chriſtus, non aliàs tamen homo licet de cœlo, niſi quia & ipſe caro atq; anima,quod homo,quod Adam.Nam & ſupra nouiſſimus Adam dicens,de conſortio ſubſtantiæ commercium nominis traxit:quia nec Adam ex ſemine caro,quod & Chriſtus.Qualis ergo choicus tales & choici:qualis cœleſtis,tales & cœleſtes.Subſtātia tales? an primo diſciplina,dehinc & dignitate quam diſciplina captauit? Atqui ſubſtantia nullo modo ſeparabuntur choici atq; cœleſtes,ſemel ab Apoſtolo homines dicti.Si enim & Chriſtus ſolus uere cœleſtis,imò & ſupercœleſtis, homo tamen quâ caro atque anima,nihilo ex iſta ſubſtantiarum conditione à choica qualitate diſcernitur.Proinde & qui cœleſtes ſecundum illum nō de ſubſtantia præſenti, ſed de futura claritate cœleſtes prædicati intelligūtur:quia & retro unde diſtinctio iſta manauit de dignitatis differentia oſtenſa eſt: alia ſupercœleſtium gloria,alia ſuperterrenorū:& alia ſolis,alia lunę,alia ſtellarum.Quia & ſtella à ſtella differt in gloria, non tamen in ſubſtantia. Deniq; præmiſſa differentia dignitatis in eadem ſubſtantia & nunc ſectandæ & tunc capeſſendæ, ſubiungit etiam exhortationem, ut & hic habitum Chriſti ſectemur ex diſciplina,& illic faſtigium conſequamur ex gloria: Sicut portauimus imaginem choici,portemus etiā imaginem ſupercœleſtis.Portauimus enim imaginem choici per collegium tranſgreſſionis,per conſortium mortis, per exilium paradiſi. Nam ſi & in carne, ſic putatur imago Adæ,ſed non carnem monemur exponere.Si non carnem,ergo cōuerſationem,ut proinde & cœ

lestis imaginem gestemus in nobis:non iam dei,nec iam in cœlo constituti, sed secundum lineamenta Christi incedentes in sanctitate & iustitia & ueritate.Atq; adeo ad disciplinam totũ hoc dirigit,ut hic dicat portandam imaginem Christi in ista carne,& in isto tempore disciplinæ. Portemus enim præceptiuo modo, dicens, huic tempori loquitur, in quo homo nulla alia substantia est,quàm caro & anima:aut etsi quã aliam,id est, cœlestem substantiam hæc fides spectat,huic tamen repromissa sit, cui ad illam elaborare mandatur. Cum igitur imaginem & choici & cœlestis in conuersatione constituat,illam gerendam,hanc uero sectandam: dehinc adiungit:Hoc enim dico,id est, propter ea.Quæ? quæ supra dixi,(Propterea coniunctio est. Est enim sensus supplementum antecedentibus reddens) quod caro & sanguis regnum dei hæreditate possidere non possunt. nihil aliud intelligi mandat carnem & sanguinem, quàm supradictam imaginem choici, quæ si in conuersatione censetur uetustatis,conuersatio autem uetustatis non capiat dei regnum: proinde caro & sanguis non capiendo dei regnum ad conuersationem rediguntur uetustatis. Planè si nunquam Apostolus pro operibus substantiam posuit,nec ita utatur. Si uero in carne adhuc constitutos negauit esse in carne, in operibus carnis negans esse,formam eius subruere non debes:non substantiam, sed opera substantiæ alienantis à dei regno. Quibus etiam ad Galatas manifestatis,prædicere se & prædixisse profitetur: quod qui talia agant, regnum dei non sint in hæreditate consecuturi: non portantes scilicet imaginem cœlestis, sicut portauerãt choici: ideoq; ex uetere conuersatione,nihil aliud deputandi, quàm caro & sanguis.Nam & si subitò in hanc definitionem erupisset Apostolus, eliminandam carnem & sanguinem à dei regno, sine ullius supra sensus præstructione, nónne duas istas substantias proinde hominem ueterem interpretaretur carni & sanguini deditum, id est esui & potui,cuius sit dicere aduersus fidem resurrectionis,Manducemus & bibamus,cras enim moriemur. Et hoc enim insulciens Apostolus,carnem & sanguinem de fructibus ipsorum manducandi & bibendi suggillauit. Sed & omissis huiusmodi interpretationibus carnis & sanguinis opera taxantibus,ipsas quoq; substantias non aliter, quàm sunt,intellectas licebit resurrectioni uindicare. Non enim resurrectio carni & sanguini directò negatur, sed dei regnum quod obuenit resurrectioni. Est autem & in iudicium resurrectio,imò & confirmatur carnis resurrectio generalis,cum specialis excipitur. Dum enim in quem statum non resurgat edicitur,in quem resurgat subauditur. Atq; ita dum pro meritis distinctionem resurrectionis opus substantiæ non genus patitur, apparet hinc quoque carnem & sanguinem nomine culpæ non substantiæ arceri à dei regno, nomine tamen formæ resurgere in iudiciũ: quia non resurgant in regnum. Adhuc dicam Caro & sanguis regnum dei hæreditate possidere non possunt

ſunt: Merito ſola & per ſemetipſa: ut oſtenderet adhuc ſpiritum illi neceſſarium. Spiritus enim eſt qui uiuificat in regnum dei, caro nihil prodeſt. Prodeſſe tamen illi aliud poteſt, id eſt ſpiritus, & per ſpiritum opera quoq; ſpíritus. Reſurgunt itaq; ex eo, quo omnis caro & ſanguis in qualitate ſua. Sed quorum adire regnum dei, inducere oportebit uim incorruptibilitatis & im 37
mortalitatis, ſine qua regnum dei adire non poſſunt, antequàm conſequi eam poſſint. Merito ergo caro & ſanguis (ut diximus) ſola regnum dei capere deficiunt. Iam uero cum deuorari habeat corruptiuum iſtud ab incorruptibilitate, id eſt caro: & mortale iſtud ab immortalitate, id eſt ſanguis poſt reſurrectionem ex demutatione: merito demutata ac deuorata caro & ſanguis, regnum dei hæreditati poſſidere non poſſunt? non tamen non reſuſcitata. Sunt qui carnem & ſanguinem Iudaiſmum uelint accipi propter circũ- *Caro, Iudaiſmus*
ciſionem alienũ & ipſum à dei regno: quia & ille uetuſtati deputetur, & hoc titulo iam & alibi ab Apoſtolo denotetur, qui poſt reuelatum in ſe filium dei, ad euangelizandũ eum in Nationibus, ſtatim non retulerit ad carnem & ſanguinem, id eſt, ad circumciſionem, id eſt ad Iudaiſmum: ſicut ad Galatas ſcribit. Sed pro oñibus iam ſtabit, quod clauſulam reſeruauimus etiam pro Apoſtolo ipſo reuera maximæ inconſiderantiæ reuincendo, ſi tam abrupte, ut quidã uolunt, clauſis (quod aiunt) oculis, ſine diſtinctione, omnem *Clauſis oculis*
paſſim carnẽ & ſanguinem à regno dei † extruxit, utiq; & ab ipſa regia cœ- *Forte, extruſit*
lorum: cum illic adhuc ſedeat Ieſus ad dexteram patris, homo etſi deus: Adam nouiſſimus & ſi ſermo primarius: caro & ſanguis, etſi noſtris puriora: idem tamen & ſubſtantia & forma qua aſcendit, talis etiam deſcenſurus (ut *Actorum 1*
angeli adfirmant) agnoſcendus ſcilicet eis qui illum conuulnerauerunt. Hic ſequeſter dei atque hominum appellatus ex utriuſque partis depoſito com- *Sequeſter dei atq; hominum Chriſtus*
miſſo ſibi, carnis quoque depoſitum ſeruat in ſemetipſo, arrabonem ſummæ totius. Quemadmodum enim nobis arrabonem ſpiritus reliquit, ita & à nobis arrabonem carnis accepit, & uexit in cœlum pignus totius ſummæ illuc quandoq; redigendæ. Securæ eſtote caro & ſanguis, uſurpaſtis & cœlum & regnũ dei in Chriſto. Aut ſi negent uos in Chriſto, negent & in cœlo Chriſtum, qui uobis cœlum negauerunt. Ita nec corruptela, inquit, incorruptelam hæreditati habebit: non ut carnem & ſanguinem exiſtimes corruptelam, quãdo ipſa ſint potius obnoxia corruptelæ, per mortem ſcilicet. Siquidem mors eſt, quæ carnem & ſanguinem non modo corrumpit, uerum etiam conſumit. Sed quoniam opera carnis & ſanguinis non poſſe cõſequi regnum dei edixerat, quo magis hoc exaggeraret, ipſe quoq; corruptelæ, id eſt morti cui carnis & ſanguinis opera proficiunt, hæreditatẽ incorruptelæ ademit. Nam & paulo poſt ipſius mortis quodammodo mortẽ expreſſit, deuorata eſt mors, dicens in contentionem. Vbi eſt mors aculeus tuus? ubi eſt mors potentia tua? Aculeus aũt mortis delinquentia: hæc erit corru-

ptela. Virtus autem delinquentiæ lex: illa alia sine dubio quam constituit in membris suis militantem aduersus legem animi sui, ipsam scilicet uim delinquendi contra uoluntatem. Nam etsi supra nouissimum inimicum mortem euacuari ait, hoc modo nec corruptela hæreditatem incorruptelæ consequitur: id est, nec mors perseuerabit, quando & quomodo defectura? cũ in atomo, in momentaneo oculi motu, in nouissima tuba & mortui resurgent incorrupti: qui hi nisi qui ante corrupti, id est, corpora, id est caro & sanguis? & nos demutamur: de qua habitudine nisi in qua deprehendemur? Oportet enim corruptiuum istud induere immortalitatem. Quid mortale, nisi caro? quid corruptiuum, nisi sanguis? ac ne putes aliud sentire apostolum prouidentem tibi, & ut de carne dictum intelligas laborantem, cum dicit istud
istud corruptiuum, & istud mortale, cutem ipsam tenens dicit. Certe istud nisi de subiecto, nisi de comparenti pronunciasse non potuit. Demonstrationis corporalis, est uerbum. Aliud autem corruptiuum, aliud corruptela: & aliud mortale, & aliud mortalitas. Aliud enim quod patitur, aliud quod pati efficit. Ita quæ patiuntur corruptelam & mortalitatem, caro scilicet & sanguis, ea necesse est patiantur & incorruptelam & immortalitatem. Videmus iam nunc quo corpore uenturos mortuos disputet. Et bene quod erupit statim
38 ostẽdere, quasi quis eiusmodi quærat. Stulte, inquit, tu quod seminas num ne uiuificatur, nisi mortuum fuerit? Hoc ergo iam de exemplo seminis constet, nõ aliam uiuificari carnem, quàm ipsam quæ erit mortua. Et ita sequentia relucebũt. Nihil enim aduersus regulam exempli licebit intelligi, ne quia sequitur & quod seminas, nõ corpus quod futurũ est seminas, idcirco aliud resurrecturum corpus, quàm quod moriendo seminatur, existimes. Cæterum excidisti ab exemplo, Nunquàm enim frumento seminato & in terra dissoluto hordeum erumpit, & non idipsum genus grani, eademq; natura & qualitas & forma. Deniq; unde? si nõ idipsum. & corruptela enim ipsum est, dum ipsius est. Non enim & suggerit quomodo non quod futurum est corpus seminetur dicens, sed nudum granum, si forte frumenti, uel alicuius eiusmodi: deus autẽ dat illi corpus prout uult, certe ei grano quod nudum seminari ait. certè, inquis. ergo saluũ est cui dare habet deus corpus. Quomodo autẽ saluum est si nusquam est: si nõ resurgit, si nõ idipsum resurgit? Si non resurgit, saluum non est. Si non est & saluum, accipere corpus à deo non potest. Sed enim saluum omni modo constat. Ad quid ergo dabit illi deus prout uult corpus, habenti utiq; proprium corpus illud nudum, nisi
39 ut iam nõ nudum resurgat? ergo additum erit quod corpori superstruitur: nec exterminatur illud cui superstruitur, sed augetur. Saluum est aũt quod augetur. Seritur enim solummodo granum sine folliculi ueste, sine fundamento spicæ, sine munimento aristæ, sine superbia culmi. Exurgit autem copia fœneratum, cõpagine ædificatum, ordine structũ, cultu munitũ, & usq;

quaq;

quaq; ueſtitum. Hæc ſunt ei corpus à deo aliud, in quod nõ abolitione, ſed ampliatione mutatur. Et unicuiq; ſeminũ ſuum corpus putari non ſuum, id eſt, non priſtinum: ut tunc & illud ſuum ſit, quod extrinſecus à deo acquirit. Serui igitur exemplo, & conſerua ſpeculum eius, carni, eandem credens fructificaturam quæ ſit ſeminata: ipſam, etſi plenior eſt: nõ aliam, etſi aliter reuertentem. Accipiet enim & ipſa ſuggeſtum & ornatũ, qualem illi deus uoluerit ſuperducere ſecundum merita. Sine dubio ad hoc direxit: Nõ omnis caro eadem caro: non ad denegandam ſubſtantiæ cõmunionem, ſed prærogatiuæ, per æquationem corpus honoris non generis, in differentiam rediens. Inhoc & figurata ſubiicit exempla animaliũ & elementorum. Alia caro hominis, id eſt, ſerui dei, qui uere homo eſt: alia iumenti, id eſt, ethnici: de quo & propheta: Aſſimilatus eſt, inquit, homo inrationabilibus iumentis. Alia caro uolatiliũ, id eſt, martyrum, qui ad ſuperiora conantur: alia piſciũ, id eſt, quibus aqua baptiſmatis ſufficit. Sic & de ſupercœleſtibus corporibus argumenta committit. Alia ſolis gloria, id eſt, Chriſti: & alia lunę, id eſt eccleſiæ: & alia ſtellarum, id eſt, ſeminis Abrahæ. Et ſtella enim à ſtella differt in gloria: & corpora terrena & cœleſtia, Iudæus ſcilicet & Chriſtianus. Cęterum ſi non figuratè, ſatis uanè mulorum & miluorum carnes, & corpora cœleſtium luminum appoſuit humanis: non pertinentia ad conditionis comparationem, ſicut nec ad reſurrectionis conſecutionem. Poſtremo cum per hæc differentiam gloriæ, non ſubſtantiæ concluſiſſet: ſic, inquit, & reſurrectio mortuorum: quoniã non de alio aliquo, ſed de ſola gloria differens. Rurſus enim reſurrectionem ad eandem ſubſtantiam reuocans, & ad granum denuo ſpectans: ſeminatur, inquit, corruptela, reſurgit incorruptela: ſeminatur in dedecoratione, reſurgit in gloria: ſeminatur in infirmitate, reſurgit in uirtute: ſeminatur corpus animale, reſurgit ſpiritale. Certè non aliud reſurgit, quàm quod ſeminatur: nec aliud ſeminatur, quàm quod diſſoluitur humi: nec aliud diſſoluitur humi, quàm caro: hanc enim ſententiã deus eliſit: Terra es, & in terrã ibis: quia & de terra erat ſumpta. Hinc & Apoſtolus concepit ſeminari eam dicere cum rehibetur in terram: quia & ſeminibus ſequeſtratorium terra eſt, illic deponendis, & inde repetendis. Ideóque & conſignat imprimens, ſic enim ſcriptum eſt: ne aliud exiſtimes eſſe ſeminari, quàm in terram ibis, ex qua es ſumptus, ſic ne alterius quàm carnis: ſic enim ſcriptum eſt. Sed corpus animale animam quidam argumentantur, ut illam à carne auocent recidiuatam. Porrò cum conſtet fixumq; ſit illud reſurrecturũ corpus quod fuerit ſeminatum, ad ipſius rei exhortationem prouocabuntur. Aut oſtendant animam ſeminatam poſt mortem, id eſt, mortuam: id eſt, humi eliſam, diſiectam, diſſolutam, quod in illã à deo decretum non eſt: proponant corruptelam eius, & dedecorationem, infirmitatem, ut ipſius ſit etiam conſurgere in incorruptelam, & in gloriam, & in uir-

40 *Sequeſtratorium*

Lazarus præcipuum exemplum resurrectionis

tutem. Sed enim in Lazaro præcipuo resurrectionis exemplo caro iacuit in infirmitate, caro penè computruit in dedecorationem, caro interim putruit in corruptionem: & tamen Lazarus caro resurrexit, cum anima quidem, sed incorrupta: quam nemo uinculis lineis strinxerat, nemo in sepulchro collocarat, nemo iam fœtere senserat, nemo quatriduo uiderat seminatam. Totum habitum, totum exitum Lazari, omnium quoq; caro hodie experitur: anima uero nullius. In qua ergo stilus Apostoli comparet, de qua eũ loqui constat, ea erit & corpus animale cum seminatur, & spiritale cum suscitatur. Nam ut ita intelligas manũ adhuc porrigit, æquè de eiusdem scripturæ auctoritate factum retexens primum hominem Adam in animam uiuentem. Si Adam homo primus, caro autem homo ante animam, sine dubio caro erit facta in animam uiuentem. Porrò in animam cũ esset corpus, utiq; ad animale corpus est facta. Quid eam appellari uelint, quàm quod per animam facta est, quàm quod ante animã non fuit, quàm quod post animam non erit, nisi cum resurgit? Recepta enim anima rursus animale corpus efficitur, ut fiat spiritale. Non enim resurgit, nisi quod fuit. Ita unde carni competit corpus animale dici, inde animæ nullo modo competit. Caro enim ante corpus, quàm animale corpus. Animata emẽ, postea facta est corpus animale. Anima uero etsi corpus, tamen quia ipsa est corpus, non animata sed anima potius, animale corpus non potest dici, nec fieri quod fecit. Alij enim accidens facit: illud autem non. Accidens autem alij, quomodo se faciet animalem? sicut ergo animale corpus caro recipiens animã, ita & postea spirituale induens spiritum. Hunc ordinem Apostolus disponens in Adam quoque & in Christo, eũ merito distinguit, ut in capitibus distinctionis ipsius. Et cum Christum nouissimum Adam appellat, hinc eũ recognosce ad carnis nõ ad animæ resurrectionem, omnibus doctrinæ uiribus operatum. Si enim & primus homo Adam caro, non anima, qui deniq; in animã uiuam factus est: & nouissimus Adam Christus ideo Adam, quia homo: ideo homo, quia caro, non quia anima: atq; ita subiungit: Non primum quod spirituale, sed quod animale: postea quod spiritale, secundum utrunq; Adam. Et quid tibi uidetur corpus animale & corpus spiritale in eadem carne distinguere: cuius distinctionẽ in utroq; Adam, id est, in utroq; homine præstruxit? Æqua enim substantia pariant inter se Christus & Adam scilicet ex carne, licet & ex anima, sed carnis nomine homo uterq; sunt. Prior enim caro homo. Ex illa & ordinem admittere potuerunt: ut alter primus, alter nouissimus homo, id est, Adam, deputarentur. Cæterũ diuersa in ordinem disponi non possunt, de substantia duntaxat. de loco enim aut tempore, aut conditione forsitan possint. Hic autem de substantia carnis, primus & nouissimus dicti sunt, sicut & rursus primus homo de terra, & secundus de cœlo. Quia etsi de cœlo secundum spiritum, sed homo secundum carnem. Itaque

41

cum

cum carni conueniat ordo in utroq; Adam,non animæ:ut primus homo in animam uiuam,nouiſſimus in ſpiritum uiuificantem diſtincti ſint: æque diſtinctio eorum carni diſtinctionem præiudicauit,ut de carne ſit dictum:nō primum quod ſpiritale,ſed quod animale:poſtea quod ſpiritale:atq; ita eadem ſit & ſupra intelligenda: & quæ ſeminetur corpus animale,& quæ reſurgat corpus ſpiritale:quia non primum quod ſpiritale,ſed quod animale: quia primus Adam in animam,nouiſſimus Adam in ſpiritum. Totum de homine:totum de carne,quando de homine. Quid ergo dicemus? nónne & nunc habet caro ſpiritum ex fide? ut quærendum ſit,quomodo corpus animale dicatur ſeminari. Planè accepit & hic ſpiritum ex fide,ut quærendū ſit, quomodo corpus animale dicatur ſeminari. Planè accepit & hic ſpiritū caro,ſed arrabonem:animæ autem non arrabonem,ſed plenitudinem. Itaque etiā propterea maioris ſubſtantiæ nomine animale corpus nuncupata eſt, in qua ſeminatur futura:proinde plenitudinem ſpiritus, inſuper ſpiritale in qua reſuſcitatur. Quid mirum ſi magis inde uocitata eſt, unde conferta eſt, quàm unde diſperſa eſt? Ita de uocabulorum occaſionibus plurimum,quęſtiones ſubornantur,ſicut & de uerborū cōmunionibus. Nam quia & illud apud Apoſtolum poſitū eſt, uti deuoretur mortale à uita,caro ſcilicet:deuorationem quoq; ad perditionem ſcilicet carnis arripiunt,quaſi non bilem & dolorem dicamur deuorare,id eſt,abſcondere,ac tegere,& intra noſmetipſos continere. Deniq; cum & illud ſcriptum ſit: Oportet mortale hoc induere immortalitatem,oſtēditur quomodo mortale deuoretur à uita, dum indutum immortalitate abſconditur,& tegitur,& intus continetur,nondum abſumitur & amittitur. Ergo & mors,inquis,ſalua erit,cum fuerit deuorata: ideo diſcerne pro ſenſibus communionem uerborum, & integre intelligis. Aliud enim mors,& aliud mortale. Mors non capit immortalitatem,mortale autē capit. Deniq; & ſcriptum eſt,quod neceſſe ſit mortale hoc induere immortalitatem. Quomodo ergo capit? dum deuoratur à uita, dum recipitur,& redigitur,& includitur in ipſam? Cæterum mors merito interitu deuoratur,quia & ipſa in hoc deuorat. Deuorauit,inquit,mors inualeſcendo, & ideo deuorata eſt in cōtentionē. Vbi eſt mors aculeus tuus? ubi eſt mors contentio tua? Proinde & uita mortis ſcilicet æmula per contentionē,deuorabit in ſalutem, quod per contentionem tuam deuorauerat mors in interitum. Quanquàm igitur reſurrecturam carnē probantes, hoc ipſo nō aliam reſurrecturam probemus,quàm de qua agitur:tamen ſingulæ quæſtiones & cauſæ earum proprios quoq; flagitant cōgreſſus,licet aliunde iam cæſæ, id eſt membratim. Interpretabimur itaq; plenius & uim & rationem demutationis quæ fermè ſubminiſtrat alterius carnis reſurrecturæ præſumptionem,quaſi demutari deſinere ſit in totū, & de priſtino perire. Diſcernenda eſt autem demutatio ab omni argumento perditionis. Aliud enim demuta

Deuorare bilem, dolorem

tio,aliud perditio. Porrò nõ aliud,si ita demutabitur caro,ut pereat. Peribit autem demutata,si non ipsa permanserit in demutatione,quæ exhibita fuerit in resurrectione. Quemadmodum enim perit, si non resurgit:ita etsi resurgit quidem,uerũ in demutationem subducitur,æque perit. Æque enim non erit,si non resurrexerit. Et quàm ineptum, si in hoc resurgit,ut non sit, quæ potuit nõ resurrexisse,nec esse:quia non esse iam cœperat. Non miscebuntur omnino diuersa,mutatio atq; perditio,operibus utiq; diuersa. Perdit hæc,illa mutat. Quomodo ergo quod perditum est, mutatum non est: ita quod mutatum est,perditum non est. Perisse enim est in totum nõ esse quod fuerit:mutatum esse,aliter esse est. Sed porrò dum aliter est, idipsum potest esse:habet enim esse quod non perit. Mutationem enim passum est, non perditionem. Atq; adeo potest & demutari quid & ipsum esse nihilominus,ut & totus homo in hoc ęuo substantia quidem ipse sit,multifariam tamen demutetur,& habitu,& ipsa corpulentia,& ualetudine, & cõditione, & dignitate,& ætate,studio,negocio,artificio,facultatibus,sedibus, legibus, moribus,nec quicquã tamen admittat homini,nec ita alius efficiatur ut cesset idem esse:imò nec alius efficitur,sed aliud. Hanc formam demutationis diuina etiam documenta testantur. Mutatur Mosei manus & quidem ad instar emortuæ exanguis & exalbida,frigida:sed & recepto calore,& refuso colore eadem caro & sanguis est. Mutatur postea & facies eiusdem, incontemplabili claritate. Sed Moyses erat proinde qui nõ uidebatur. Sic & Stephanus angelicum iam fastigium induerat, sed non alia genua lapidationi succiderant. Dominus quoq; in secessu montis etiã uestimenta luce mutauerat,sed liniamenta Petro agnoscibilia seruauerat. Vbi etiam Moyses & Helias,alter in imagine carnis nondũ receptæ,alter in ueritate nondum defunctæ,eandem tamen habitudinem corporis,etiam in gloria perseuerare docuerunt. De quo exemplo instructus & Paulus: Qui transfigurauit, inquit, corpus humilitatis nostræ conformale corpori gloriæ suæ. Quod etsi transfigurationem & cõuersionem in transitum substantiæ cuiusq; defendis: ergo & Saul in alium uirum conuersus,de corpore suo excessit, Et ipse Satanas cum in angelum lucis transfiguratur,qualitatem suam amittit. non opinor. Ita & in resurrectionis euentum mutari,conuerti, reformari licebit cum salute substantiæ. Etenim quàm absurdum,quàm uerò ethnicum, utrunq; autem quàm deo indignum,aliam substantiam operari,aliam mercede dispungi:ut hæc quidem caro per martyria lanietur,alia uero coronetur. Item econtrario hęc quidẽ caro in spurcitijs uolutetur,alia uero damnetur. Nonne præstat omnẽ semel fidem à spe resurrectionis abducere, quàm de grauitate atq; iustitia dei ludere? Marcionem pro Valentino resuscitari? quando neq; mentem,neq; memoriam,neq; cõscientiam hominis hodierni credibile sit aboleri,per indumentũ illud mutatorium immortalitatis & incor-

Angelicum fastigium induerat 42

ruptelæ

ruptelę,uacaturo ſcilicet emolumento & fructu reſurrectionis,& ſtatu diui/ni utrobiq; iudicij.Si nõ meminerim me eſſe qui merui, quomodo gloriam deo dicam? quomodo canam illi nouum canticum,neſciens me eſſe qui gratiam debeam? Cur aũt ſolius carnis demutatio excipitur, non & animæ ſimul quæ in omnibus præfuit carni? quale eſt,ut eadem anima quæ in hac carne totum uitæ ordinem decucurrit,quæ in hac carne deũ didicit,& Chriſtum induit,& ſpem ſalutis ſeminauit,in alia neſcio qua metat fructũ? Næ illa gratioſiſſima caro,cui gratis uita conſtabit. Quod ſi non & anima mutabitur,iam nec animæ reſurrectio eſt:nec ipſa enim reſurrexiſſe credetur,ſi non alia reſurrexerit. Hinc iam illa uulgaris incredulitatis argutia eſt:ſi,inquiunt,ipſa eademq; ſubſtantia reuocatur cum ſua forma, linea,qualitate, ergo & cum inſignibus ſuis reliquis: Itaq; & cæci & claudi, & paralytici,& ut quis inſignis exceſſerit,ita & reuertetur. Quid nũc? etſi ita dedignaris tantam gratiam qualiſcunq; à deo conſequi. Non enim & nunc animæ ſolius admittens ſalutẽ,dimidiatis hominibus eadem adſcribis? Quid eſt credere reſurrectionem,niſi integram credere? Si enim caro de diſſolutione reparabitur, multo magis de uexatione reuocabitur. Minoribus maiora præſcribunt. Cuiuſcunq; membri detruncatio, uel obtuſio, nónne mors membri eſt? ſi uniuerſalis mors reſurrectione reſcinditur,quid portionalis? Si demutamur in gloriam,quanto magis in incolumitatem? Vitiatio corporum accidens res eſt:integritas propria eſt.In hac naſcimur. Etiamſi in utero uexemur,iam hominis eſt paſſio. Prius eſt genus, quàm caſus. Quomodo uita cõfertur à deo,ita & refertur. Quales eam accipimus,tales & recipimus. Naturæ,non iniuriæ reddimur:quod naſcimur,non quod lædimur, reuiuiſcimus. Si nõ integros deus ſuſcitat, nõ ſuſcitat mortuos. Quis enim mortuus integer,& ſi integer,moritur? Quis incolumis, qui exanimis? quod corpus inlæſum,cum interemptum,cum frigidum,cum expallidum, cum edurum, cum cadauer? quando magis homo debilis,niſi cum totus? quando magis paralyticus,niſi cum immobilis? ita nihil aliud eſt mortuũ reſuſcitari, quàm integrum fieri:ne ex ea parte mortuus adhuc ſit, ex qua non reſurrexerit. Idoneus deus reficere quod fecit.Hanc ſuam & poteſtatem & liberalitatem ſatis iam in Chriſto ſpopondit,imò & oſtendit:non tantum reſuſcitatorem carnis,uerum etiam redintegratorem. Atq; adeo & Apoſtolus: Et mortui, inquit,reſurgent incorrupti. Quomodo niſi integri,qui retro corrupti? tam uitio ualetudinis quàm & ſenio ſepulturæ. Nam & ſupra utrunque proponens,oportere,& corruptiuum iſtud induere incorruptelã, & mortale iſtud immortalitatem:non iterauit ſententiam,ſed differentiam demandauit. Immortalitatem enim ad reſciſſionẽ mortis,incorruptelam ad obliterationem corruptelæ diuidendo:alteram ad reſurrectionem, alteram ad redintegrationem temperauit. Puto autem & Theſſalonicenſibus omnis ſubſtantiæ integri

integritatem repromisit. Itaq; nec in posterum timebũtur corporum labes. Nihil poterit admittere integritas, uel cõseruata, uel restituta, ex quo illi etiã si quid amiserat, redditur. Præscribens enim ad hoc easdem passiones obiturã carnem, si eadem resurrectura dicatur, naturam aduersus dominum suum temere defendis, legem aduersus gratiam impie asseris, quasi domino nõ liceat & mutare naturam, & sine lege seruare. Quò ergo legimus: quę impossibilia apud homines, possibilia apud deum? & Stulta mundi elegit deus, ut sapientia mundi confundat? Oro te si famulum tuum libertate mutaueris: quia eadem caro atq; anima permanebunt, quæ flagellis & compedibus & stigmatibus obnoxię retro fuerant, idcircò ne illa eadem pati oportebit? nõ opinor. Atqui & uestis albæ nitore, & aurei anuli honore, & patroni nomine, ac tribu mensaq; honoratur. Permitte hanc & deo potestatem per uim demutationis illius conditionem non naturam reformandi, dum & passiones auferuntur, & munitiones conferuntur. Ita manebit quidem caro etiam post resurrectionem, eatenus passibilis quâ ipsa, quâ eadẽ, ea tamen impassibilis, quia in hoc ipsum manumissa à domino, ne ultra pati possit. Iocunditas, inquit Esaias, æterna super caput eorum. Nihil æternum nisi post resurrectionem. Aufugit, inquit, dolor & mœror, & gemitus ab illis. Proinde & Ioanni angelus: Et delebit deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Vtiq; ex ijsdem oculis qui retro fleuerãt, quiq; adhuc flere potuissent, si nõ omnem lachrymæ imbrem indulgentia diuina siccaret. Et rursus: Deus eñ delebit omnẽ lachrymam ab oculis eorum: & mors hactenus, igitur & corruptela hactenus, proinde per incorruptelam fugata, quemadmodum per immortalitatem. Si dolor, & mœror, & gemitus, ipsaq; mors ex læsuris & animæ & carnis obueniunt, quomodo auferentur nisi cessauerint causæ scilicet læsurę carnis atq; animæ? ubi casus aduersi apud dominum? aut ubi incursus infesti apud Christũ? ubi dæmonici impetus apud spiritũ sanctum, iam & ipso diabolo cũ angelis suis ignibus merso? Vbi Necessitas, aut quod dicitur Fortuna, uel Fatum? quæ resuscitatis plaga post ueniam? quæ reconciliatis ira post gratiam? quæ infirmitas post uirtutem, quę imbecillitas post salutem? Quod uestimenta & calciamenta filiorum Israelis quadraginta illis annis indetrita, inobsoleta manserũt: quod & in ipsis corporibus unguiũ & capillorum, & facilia crementa habilitatis & dignitatis iustitia defixit, ne etiam enormitas corruptela deputaretur: quod Babylonij ignes trium fratrum, nec tiaras, nec sarabas, quanquàm Iudæis alienas læserunt: quod Ionas deuoratus à belua maris, in cuius aluo naufragia digerebantur, triduo post incolumis expuitur: quod hodie Enoch & Helias, nondũ resurrectione dispuncti, quia nec morte functi, quà tamẽ de orbe translati, & hoc ipso iam æternitatis candidati, ab omni uitio, & ab omni damno, & ab omni iniuria, & contumelia emunitatem carnis ediscunt: cui nam fidei testimonium

Libertate mutare

Manumissionis insignia

Necessitas Fortuna Fatum

43

Aeternitatis candidati

signat

ſignant,niſi qua credi oportet,hæc futurę integritatis eſſe documenta? Figu
ræ enim noſtræ fuerunt Apoſtolo autore,quæ ſcripta ſunt, ut & dominum
potentiorem credamus omni corporum lege,& carnis magis utiq;, & cõſer
uatorem,cuius etiam ueſtimenta,etiã calciamenta protexit. Sed futurũ,in
quis,æuum alterius eſt diſpoſitionis & æternæ: igitur huius æui ſubſtantiã
non æternam diuerſa poſſidere non poſſe. Planè ſi homo propter diſpoſi
tionem futuram,& non diſpoſitio propter hominem. Sed enim Apoſtolus
ſcribens,ſiue mundus,ſiue uita,ſiue mors,ſiue futura,ſiue præſentia, omnia
ueſtra ſunt:eoſdem conſtituit hæredes etiam futurorum. Nihil tibi largitur
Eſaias,dicens: Omnis caro fœnũ: & alibi: Et uidebit omnis caro ſalutare do
mini:exitus nõ ſubſtantias diſtinxit. Quis enim iudicium dei non in ſenten
tia duplici ſtatuit ſalutis & pœnæ? omnis igitur caro fœnum, quæ igni deſti
natur: & omnis caro uidebit ſalutare domini,quæ ſaluti ordinatur. Ego me
ſcio neq; alia carne adulteria commiſiſſe, neq; nunc alia carne ad continen
tiam eniti. Si quis eſt,bina pudenda circumferens,poteſt iam & demere fœ
num carnis immundæ,& ſolam ſibi reſeruare quæ uiſura ſit domini ſaluta
re. Sed cũ idem prophetes etiam Nationes oſtendat,nunc deputatas uelut
puluerem & ſaliuam,nunc ſperaturas & credituras in nomen & in brachiũ
domini,nunquid & de Nationibus fallimur? & aliæ quidẽ ſunt creditura,
alię in puluerem deputatę,ex diuerſitate ſubſtantiæ? Sed & Chriſtus intra
oceanum, & de iſto cœlo quod nobis incubat, uerum lumen Nationibus
offulſit. Et ipſi Valentiniani hic errare didicerũt: nec alia erit forma Natio
num credentium,niſi quæ & non credentium,de carne, de anima. Sicut er
go eaſdem Nationes nõ genere,ſed ſorte diſtinxit: ita & carnes quæ in ipſis
Nationibus una ſubſtantia eſt,non materia,ſed mercede diſiunxit. Ecce au 44
tem ut adhuc controuerſiam exaggerant carni maximè eidem, de officijs
quoq; membrorum argumentantur,aut & ipſa dicentes permanere debere
in ſuis operibus & fructibus,ut eidem corpulentiæ adſcripta: aut quia cõſtet
diſceſſura eſſe officia membrorum,corpulentiam quoq; eradant, cuius ſci
licet perſeuerantia credenda non ſit,utiq; ſine membris: quia nec membra
credenda ſint ſine officijs. Quo enim iam,inquiunt,ſpelũca hæc oris, & den
tium ſtatio,& gulæ lapſus,& competum ſtomachi,& alui gurges, & inteſti
norum perplexa proceritas,cum eſui & potui locus non erit? Quò huiuſmo
di membra admittunt,ſubigunt, deuoluunt, diuidunt,digerunt, egerunt?
quò manus ipſæ & pedes & operarij quiq; artus,cum uictus etiã cura ceſ
ſabit? quò renes cõſcij ſeminum,& reliqua genitalium utriuſq; ſexus,& con
ceptuum ſtabula,& uberũ fontes,diſceſſuro concubitu,& fœtu,& educatu?
Poſtremo, quò totum corpus,totũ ſcilicet uacaturum? Ad hæc ergo præ
ſtruximus non oportere cõmitti futurorum atq; præſentium diſpoſitiones,
interceſſura tũc demutatione: & nunc ſuperſtruimus officia iſta membrorũ
neceſſi

Legerim,cdr/ni maximè, id eſt de officijs quoque mem/brorum

Oris ſpelunca
Dentiũ ſtatio
Gulæ lapſus
Stomachi com petum
Alui gurges
Inteſtinorum perplexa pro ceritas
Conceptuum ſtabula
Vberũ fontes

UNIVERSIDAD DE MURCIA

neceſſitatibus uitæ huius,eò uſq; conſiſtere,donec & ipſa uita transferatur, à temporalitate in æternitatem,ſicut animale corpus in ſpiritale: dum mortale iſtud induit immortalitatem,& corruptiuũ iſtud incorruptelam: & ipſa autem liberata tunc uita neceſſitatibus, liberabuntur & membra ab officijs: nec ideo non erunt neceſſaria. Licet enim officijs liberentur,ſed iudicijs retinentur,ut quis referat per corpus prout geſſit. Saluum enim hominem tribunal dei exigit:ſaluum uero ſine membris nõ liquet eum, ex quorum non officijs,ſed ſubſtantijs conſtat:niſi forte,& nauem ſine carina, ſine prora,ſine puppi,ſine cõpaginis totius incolumitate ſaluam adſeuerabis:& tamẽ nauem procella diſſipatam,uel carie diſſolutam,redactis & recuratis omnibus membris,eandem ſæpe conſpeximus etiam titulo reſtitutionis gloriantem: de dei artificio & arbitrio & iure torquemur? Porrò ſi diues dominus & liberalis adfectui aut gloriæ ſuæ præſtans, ſolam nauis reſtitutionẽ, hactenus eam uoluerit operari,idcirco tunc negabis neceſſariam illi compaginem priſtinam,ut exinde iam uacaturam,cum ſoli ſaluti nauis ſine operatione conueniat? Igitur hoc tantummodo diſcere ſufficit,an dominus hominem ſaluti deſtinando,carnem deſtinarit:an eandem uelit denuo eſſe,quam non debebis & futura membrorum uacatione præſcribere denuo eſſe non poſſe? Licet enim eſſe quid denuo,& nihilominus uacare:nec poteſt autem dici uacare,ſi non ſit. At enim ſi ſit,poterit & non uacare. Nihil enim apud deũ uacabit. Sed accepiſti homo os ad uorandum atq; potandum:cur non potius ad eloquendum,ut à cæteris animalibus diſtes? cur non potius ad prędicandum deum? ut etiam hominibus antiſtes. Deniq; Adam antè nomina animalibus enunciauit, quàm de arbore decerpſit:ante etiam prophetauit, q̃ uorauit. Sed accepiſti dentes ad macellum corrodendum: cur non potius ad omnem hiatum & rictum coronandum? cur nõ potius ad pulſus linguę temperandos,ad uocis articulos offenſione ſignandos? deniq; & edentulus es? ſed audi & uide ut honorem oris, & organum dentium quæras. Forata ſunt inferna in uiro & in fœmina, nimirum quà libidines fluitent: cur non magis de fluxura colentur? Eſt adhuc fœminis intus,quò ſemina congerantur,an quò ſanguinis onera ſecedant,quem pigrior ſexus diſcutere non ſufficit? Dicenda enim & hæc,quatenus quæ uolunt,& qualiter uolũt, & quorum uolunt officia membrorum ludibrioſe de induſtria ſuffundendæ reſurrectionis oblatrant:non recogitantes ipſas prius cauſas neceſſitatis tunc uacaturas, cibi famem,& potus ſitim,& concubitus genituram, & operationis uictum. Sublata enim morte,neq; uictus fulcimenta ad præſidia uitæ,neq; generis ſubparatura grauis erit membris. Cæterum & hodie uacare inteſtinis & pudendis licebit. Quadraginta diebus Moyſes & Helias ieiunio functi,ſolo deo alebãtur. Iam tũc enim dedicabatur: Non in pane uiuit homo, ſed in dei uerbo. Ecce uirtutis futuræ lineamenta. Nos quoq; ut poſſumus,

Ad macellum corrodendũ

os cibo

os cibo excusamus,etiã sexum à congressione subducimus. Quot spadones uoluntarij? quot uirgines Christi maritatæ? quot steriles utriusque naturæ infructuosis genitalibus structi? Nam & si hic iam uacare est, & officia & emolumenta membrorũ temporali uacatione ut in temporali dispositione, nec homo tamen minus saluus est: proinde homine saluo, & quidẽ magis, tunc ut in æterna dispositiõe magis nõ desiderabimus, quæ iam hic nõ desiderare cõsueuimus. Sed huic disceptationi, finẽ dominica pronunciatio imponit: Erunt, inquit, tanquàm angeli. Si non nubendo, quia nec moriendo, utiq; nec ulli simili necessitati succidendo corporalis conditionis. Quia & angeli aliquãdo tanq; homines fuerunt, edendo & bibendo, & pedes lauacro porrigendo. Humanã enim induerant superficiẽ, salua intus substãtia propria. Igitur si angeli facti tanq; homines in eadem substantia spiritus carnalem tractationẽ susceperũt, cur non & homines facti tanquàm angeli in eadem substantia carnis, spiritalem subeant dispositionem, nõ magis solennibus carnis obnoxij sub angelico indumento, quàm angeli tunc solennibus spiritus sub humano? Nec ideo nõ permansuri in carne, quia nõ & in solennibus carnis, cũ nec angeli ideo non & spiritu permanserint, quia nõ & in solennibus spiritus. Deniq; nõ dixit, erũt angeli, ne homines negaret: sed, tanquàm angeli, ut homines conseruaret. Non abstulit substantiam, cui similitudinem attribuit. Resurgit igitur caro, & quidem omnis, & quidem ipsa, & quidem integra. In deposito est ubicunq; apud deum, per fidelissimũ sequestrem dei & hominum Iesum Christum, qui & homini deum, & hominem deo reddet: carni spiritum, & spiritui carnem. Vtrunq; iam in semetipso fœderauit: sponsam sponso, & sponsum sponsæ cõparauit. Nam etsi animam quis contenderit sponsam, uel dotis nomine sequetur animã caro. Non erit anima prostituta, ut nuda suscipiatur à sponso. Habet instrumentũ, habet cultum, habet mancipium suũ carnem, ut collactanea comitabitur. Sed caro est sponsa, quæ in Christo Iesu spiritum sponsum per sanguinem passa est. Huius interitum quem putas, secessum scias esse. Non sola anima seponitur: habet & caro secessus suos, interim in aquis, in ignibus, in alitibus, in bestijs. cũ in hæc dissolui uidetur, uelut in uasa transfunditur. Si etiã ipsa uasa defecerint, cum de illis quoq; effluxerit in suam matricem terrã quasi per ambages resorbetur: ut rursus ex illa præsentetur Adam auditurus à domino: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est: uere tũc compos mali quod euasit, & boni quod inuasit. Quid anima inuides carni? nemo tam proximus tibi quem post dominum diligas: nemo magis frater tuus, quæ tecum etiam in deo nascitur. Tu potius illi exorare debueras resurrectionẽ, per te si forte deliquit. Sed nihil mirum si odisti, cuius autorem quoq; respuisti: quã & in Christo aut negare aut mutare cõsuesti, proinde & ipsum sermonem dei, qui caro factus est, uel stilo uel interpretatione corrumpens, arcana etiã

Congressionẽ uocat coitum

μεσίτης qđ alij uerterunt mediator

apocryphorum ſuperducens, blaſphemiæ fabulas. At enim deus omnipotens aduerſus hæc incredulitatis & peruerſitatis ingenia, prouidētiſſima gratia ſua, effundens in nouiſſimis diebus de ſuo ſpiritu in omnem carnē, in ſeruos ſuos & ancillas, & fidem laborantem reſurrectionis carnalis animauit, & priſtina inſtrumenta manifeſtis uerborum & ſenſuū luminibus ab omni ambiguitatis obſcuritate purgauit. Nam quia hæreſes eſſe oportuerat, ut probabiles quiq; manifeſtentur, hæ aūt ſine aliquibus occaſionibus ſcripturarum audere nō poterant: idcirco priſtina inſtrumenta quaſdam materias uidentur ſubminiſtraſſe, & ipſas quidē iſdem literis reuincibiles. Sed quoniam nec diſſimulare ſpiritum ſanctum oportebat, quo minus & huiuſmodi eloquijs ſuperinundaret, quæ nullis hæreticorū uerſutijs ſemina ſubſpargerent, imò & ueteres eorū ceſpites uellerent, idcirco iam omnes retro ambiguitates & quas uolunt parabolas, aperta atq; perſpicua totius ſacramenti prædicatione diſcuſſit, per nouam prophetiam de paracleto inundantem: cuius ſi hauſeris fontes, nullā poteris ſitire doctrinā, nullus te ardor exuret quæſtionū: reſurrectionem quoq; carnis uſq; quaq; potando, refrigerabis.

Videtur loqui de prophetia Montani

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI,
DE CARNE CHRISTI, FINIS.

ARGVMENTVM LIBRI SEQVENTIS PER BEATVM RHENANVM.

DE PRAESCRIPTIONIBVS aduerſus omnes hæreſes tractaturus in primis docet hæreſes exemplo Febris non admirandas, ſed deuitandas potius. nam admirationem offendiculo non carere. Proinde taleis in ruinam ædificari ſolitos, quaſi ueritatem obtineant hæreſes, ubi uiderint inſigneis homines à regula lapſos: perinde ac ſi fides ex perſonis probanda ueniat, & non potius ex fide perſonę: non cogitantes quoſdam dominicorum diſcipulorum offendiculum paſſos, CHRISTVM reliquiſſe: & Iudam fuiſſe de Apoſtolis. Neq; mirandū, ſi qui deſciſcant à nobis per impoſtores decepti, quando CHRISTVS ſub typo rapaciū luporum ouilem gregem infeſtantiū prænunciauit hæreticos in eccleſiā ſubingreſſuros: & Paulus hæreſes oportere eſſe ſcripſit, ut probabiles quiq; manifeſtentur, quos uidelicet deprauare nequierint: nō quidē inter bona hæreſes annumerans, ſed inter peſſima. Nec illud uero curioſitati ſuæ quoſdā recte prętexere quod dixit Apoſtolus, Omnia probate. Hæreſes porrò dictas ex interpretatione electionis, qua quis nouū aliquod inueniens dogma, uel ab alio priùs inuentum amplectens, utitur. At hoc Chriſtianis nō licere qui duces ſequimur Apoſtolos: nam & ij nō ſuam, ſed à CHRISTO doctrinam maioribus noſtris tradiderunt. Ipſas inſuper hæreſes à philoſophia ſubornari: Valentinum fuiſſe Platonicum, Marcionem Stoicum: nec ſecus ceteras hæreticorum aſſertiones à philoſophis eſſe deſumptas: Dialecticam eſſe cōtentione moleſtam. At Apoſtolum præmonuiſſe nos, ut à philoſophia caueremus, quam ipſe pulchre cōpertam habebat, Athenis inter philoſophos aliquādo uerſatus. Denicq; nobis curioſitate opus non eſſe poſt Chriſtum Ieſum, nec inquiſitione poſt

Euange

Euangelium. Deinde refellit eos, qui dominicum illud præceptũ: Quærite, & inuenietis, ad ineundam defendendamq; curiositatem detorquebãt, ut sic ipsis uel iussu dominico liceret esse curiosis, ostendens in quem sensum Christus id sit locutus. Proponit regulam ac summam fidei, quã ubiq; incolumem oporteat manere. Fidem exercitationi scripturarum præfert. Hæreticos non admittendos ad disputationẽ de scripturis: cũ quod orthodoxis tantũ competit scripturarũ possessio, tum quod ex congressionibus istis plus est mali q̃ boni. Christum cum in terris agebat, quicquid erat necessariũ abunde docuisse, elegisseq; duodecim discipulos, quos post resurrectionẽ suã iusserit ire ut docerẽt ethnicos. Eos apostolos primũ institutis per Iudæã ecclesijs, in orbem deinde profectos, apud unamquanq; ciuitatem ecclesiam cõdidisse, quæ uocatæ sint Apostolicæ, à quibus cęteræ mutuo sumpserint doctrinã. Porrò unam esse primã Apostolicam, à qua reliquæ. [redacted] Præscribit aduersus hæreses à reuelatione Christi, à doctrina apostolorũ, & à ueritate Apostolicarũ ecclesiarũ originalium scilicet & matricum. Reliquã doctrinam omnẽ quæ huic contraria sit, de mendacio prę iudicandam. Mox arguit eos, qui dicebant Apostolos nõ omnia scisse, in hũc errorem lapsi, quod Petrus & qui cũ eo erant, à Paulo reprehensi legantur. Sed & eos refellit, qui cõcedebant Apostolos omnia quidem nouisse, sed nõ omnia uolebant illos omnibus reuelasse: quod Paulus ad Timotheũ scribens, dixerit: Bonum depositũ custodi. Correptas à Paulo fuisse ecclesias, sed & emendatas, aut, ut ipsius utar uerbo recorrectas. Præscribit à concordi diuersarũ ecclesiarum doctrina, & mox à posteritate hæresiũ, atq; à contrarietate hæreticorũ, si cum Apostolis cõferantur: qua non minus pugnant in doctrina q̃ in moribus. Præscribit etiã à notatione hæresiũ ab Apostolis facta. Hortatur insuper ut qui pie curiosus esse uelit, ecclesias Apostolicas percurrat, in Achaia Corinthiensem, in Macedonia Philippensem, Ephesinã in Asia, Romanam in Italia. Recenset institutionem Romanæ ecclesiæ. Hæreses de nostro fructificasse nõ nostras: Ad hæc scripturas nũc manu, nũc sensu fuisse ab hæreticis interuersas: cuius sensus diabolus sit autor pessimus ille Christianę religionis æmulus. Mox depingit uitã ac mores hęreticorũ. Postremo futuri nos admonet iudicij, in quo male audient à iusto iudice hęretici, frustra tum se excusaturi. Ibi deũ per Ironiã hæreticis loquentẽ facit. Porrò magnificæ laudis elogio Romanã ecclesiam ornat quũ dicit: Si aũt Italiæ adijceris, habes Romanã, unde nobis quoq; autoritas præsto est statuta. Subijcitq; insigne epiphonema, Felix, inquit, ecclesia cui totam doctrinã Apostoli cũ sanguine suo profuderunt. Idem facit libro quarto aduersus Marcionem: Videamus, inquit, quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Euangelium & Petrus & Paulus sanguine quoq; suo signatum reliquerunt. Ex quibus locis liquet unde Apostolici cognomen Pontifici Romano obuenerit. Sed & in libro aduersus Praxeam, & alijs item locis nõ obscurè significat quantum ualuerit illo quoque æuo Romani pręsulis iudicium aliquid aut agnoscentis aut reijcientis. Huius ecclesię semper mansura autoritas quantum orbi Christiano profuerit, dum dogmatum concordiam sartam tectam pręstat, ac undiq; pacem conseruat, hæc turbulenta tempora abundè docent. Quæ pręcipuè causa ueteres Imperatores olim mouit, ut istam sedem Fl. Constantinus priuilegijs: Iustinianus & Gothorum principes qui primi ex Germanis Romanorum reges extitere Italię & prouinciarũ domini, atq; hos secuti Langobardi, prędijs amplissimis: Carolus Magnus, Ludouicus Pius, atq; Rudolphus Habispurgius, terris ac prophana ditione extulerint, auxerint, ornarint. Sed de his alias.

ARGVMENTI FINIS.

1 QVantũ sint.)Scripsimus,quantũ si nõ fuissent. Cõsentientibus exemplaribus uetustis. Solent quidem isti miriones.)Miriones uocat hic simpliciter admiratores.Alioqui sic appellauit antiquitas qui ob oris distorti deformitatem admirationi forent.Præcedit aũt,Malunt quidam mirari,Item.Si illas tantum nõ ualere mirentur.Rursum,dum mirantur,Et,Ideo mirantur. Infra scripsimus, Cũ illis si uellẽt & ipsis dis.pl.obtulisset. Mox pro Phygelus est Philetus in
2 Gorziensi. Et incontinenti hæreses subiungit.) Incontinenti, id est statim. Iustinus solet dicere excontinenti,ceu lib.v. Vt excõtinenti Alcibiadem ducem Conone duce mutarent. Et lib. VII. Teneri nõ potuit,quin excõtinenti acie decerneret. Mox pro aptes reposuimus sapit. Ex Gorziensi. Quod uero mox ibi
3 sequitur,Si idem & Paulus,conjcio legendum, si idem est Paulus. Et ectromate sequitur Aristotelem.)Castigauimus,inserunt Aristotelem.Et mox, retractantem. Vt aũt scias quid sit ectroma,Autor est D[illegible]os prophetam,primo cõmentario, Valentinũ ex æonibus suis extremum,hoc est, trigesimum,Christũ uocare & ἔκτρωμα,hoc est abortiuum. In suas hæreses multi partitã uarietatis sectarũ inuicem repugnantiũ.) Ex uarietatis feci uarietate meũ ipsius iudicium secutus.At quod pro Christianismo protulerunt legis,Christianis prætulerunt Collationi Gorziensi acceptũ ferendũ est. Alium non esse credendum.) Alium subaudi deum. Nam sequitur quod ab eo institutum est.

Interim ex fiducia probationis.)Hæc tota periodus est mire intricata, nec caret mendis,Conjcio sic expediri emendariq; posse, Interim ex fiducia probationis præuentò admonens quosdam nihil esse quærendum ultra quod crediderũt, id est,quod credere debuerunt,subaudi admonuit uel dixit, Quęrite & inuenietis,in disciplina rationis interprete.Ratio aũt dicti huius, &c. Porrò quod supra dixit probationem, hic uocat rationem. st aũt præuentò aduerbialiter dictum. Expone,in disciplina rat. interpr.id est per disciplinam rationis interpretem.

4 Hanc tibi fossam determinauit.) Vltra quã transilire non liceat. Metaphorica locutio. Dum ubiq; cõuenio,Quærite & inuenietis, & uelint sic nusquã.) Et hic ambitus perplexus est & deprauatus, uidetur sic restituendus.Et erit utiq; nusquã dum ubiq;.Conuenior,Quærite & inuenietis,sed ueluti sit nusquã,quasi qui nunquã.Mox uidentur dictiones transpositæ,At enim quod si debui, pro si quod debui. In quo.duntaxat.)Videtur sic distinguendũ, In quo ? duntaxat quod s.r.f.p.m. q.d. Alioqui nõ malè quadraret,Idq; duntaxat. Sedisse ad dexteram patris.)Exemimus hæc uerba ueterũ codicum fidem secuti. Ad illam de scripturis disputationem.) Ad illã de qua diximus, ut emphasim habeat.
5 Alioqui posset etiã legi,ad ullam. Si hæ sunt illæ uires eorum.) Id est si tam infirmi sunt. Variæ præsumptionis.)Scripsimus,uariæ præsumptiones, necessario uolunt agnoscere. Necesse est enim,ut illos,dicere.) Vt illos,hoc est, ut taleis,hæreticos uidelicet. Siue populo palàm,siue discentib.seorsum.) Di-
6 scẽtibus,id est discipulis, ut supra monuimus. Vim spiritus sancti.)Si ui scriberatur,nihil est scrupuli. Sin legas uim,defendi poterit oratio per figurã Gręcam. Hoc est per uim uel secundum uim spiritus sancti cõtestata fide. Quibus tra ducem fidei & semina doctrinæ.)Et hic potest esse synecdoche. A quibus per tra ducem fidei & semina doctrinæ, cæterę exinde ecclesiæ multæ sunt, hoc est descendunt.Nam hæc figura ualde familiaris huic autori. Quã si quis non animaduertat,uolet legere pro multę sunt,mutuatę sunt.Id qd nõ prorsus malè cõuenit. Necesse est itaq; tot ac tant. ec.) Hanc sententiã & præcedentẽ sic distinxi.Omne genus ad originem suã censeatur necesse est. Ita quæ tot ac tantæ ecclesiæ,unam esse illam ab Apostolis primã,ex qua omnes.Expone ita quæ tot ac tantæ eccle-

siæ

siæ, subaudi sunt, unam esse. Subaudi necesse est. Cæterum quod hic dicit tot ac tantæ ecclesiæ, refertur ad id quod supra est, exinde ecclesiæ multæ sunt. Communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis (sic em restituimus adiuuante consensu ueterum codicum, quod prius legebatur, contestatio) Subaudi iura sunt ecclesiæ. Eleganter aũt à tessera nouator uocabulorum Tertullianus uerbum finxit contesserare, unde contesseratio. Id significat cõiunctionem familiariorem quę per signum fiat. Nam tessera signũ erat apud ueteres hospitale, cuius ostensione si quem rediisse contigisset, statim agnoscebatur. Vnde Plautinum illud, Confregisti tesseram. Atq; haud scio an per primũ salutatio, compellatio per secundum, deniq; per tertiũ sacrosancta cõmunio intelligantur. Nam cõstat ex ueterũ monumentis, maiores nostros peregrè aduenientibus hominibus probatę religionis & fidei, corpus domini mittere solitos. Sed sequitur infra. Itaq; & dexteram ei dederunt signũ concordiæ & cõuenientiæ. Item. Nec recipiũtur in pacẽ, & in cõmunicationẽ ab ecclesijs quoquo modo Apostolicis.

Sed quoniam.) Ferè tres uersus includimus signis parentheseos, usq; ad uerba, solent dicere. Et cohæret quod sequitur, Quis enim integræ mentis. Nec uero te moueat enim coniunctio. Sæpe enim huiusmodi particulas admiscet, quũ nihil est opus. Pectori eius incubantem.) Id est indormientẽ, ut supra docuimus. 7

Discentibus missum.) Discentes pro discipulis, ut antè & postea sæpe.

Quibus incunabulis institutum est hoc corpus.) Incunabula uocat initia siue primordia. Et corpus, collegiũ, cõgregationem, quod uulgo dicunt cõmunitatẽ.

Traductiones eorũ quę mentiuntur.) Traductiones opponit probationibus. Sunt aũt deprauationes scripturarũ infamationi non adsimiles. Infra scripsimus, ab illo & ab illis. Vt Apostolos committam.) Cõmittuntur gladiatores in 8 arena depugnaturi. Mox dicit, in quæ & ipsi cõmittebant, id est parabant. Sic aduersus Iudæos, Sicuti cætera quæ in illum cõmissuri essetis, prædicta sunt: pro admittebant, & admissuri. Sed & in tertium usq; cœlum ereptus Paulus est.) 1 Sic supra in regula fidei, In cœlos ereptum sedere ad dexterã patris. Potes distinguere, Paulus ereptus est, Aut legere ereptus, & in paradisum delatus. nam & cõiunctionis scriptura uerbo est, non ita absimilis. Et mox sequitur, Aut & alius postea in paradisum ereptus debet ostendi. Intellegerat.) Aut legendum intel 9 ligere erat aut intellexerat, nõ nescio quid subostendi hoc dicto, de remotiore doctrina. Sub modio obstrui solere.) Aduersus Marcionem lib. IIII. Et negat, inquit, lucernam abstruendam. Quare hic quoq; abstrui legendum non obstrui. Infra scripsimus, Quia siue Paulus. Quale est ut antè res dei curent.) Scri- 10 psimus, currerent. Ex Gorziensi. Stoicæ studiosus, Platonicæ sectator.) Vtrobiq; subaudi philosophiæ. Sub episcopatu Eleutheri benedicti.) Eleuthero decimoquarto Romanæ ecclesię pontifici iam defuncto bene precans, addit benedicti. Sic postea ueteres, Cuius memoria sit in benedictione, quoties uiri sancti iam mortui meminissent. Hodie sanctos dicimus, uulgus Germanorum etiam quoslibet, beatos ac felices. Cæterũ merito præclarum Christi martyrem ornat elogio benedicti Tertullianus amantissimus martyrij, quũ ille sanguinem suũ pro religione fuderit in martyrũ numerum relatus, quos etiam illa tempora summæ ueneration habuere. Cum ducentis H—S.) Ducenta sestertia faciũt 11 quinq; millia coronatorum. Attende morem ueterum reiectis ab ecclesia sua reddentium. Cum conditione datę sibi occurrit.) Scripsimus, cõditioni. Sensus est, Quũ uellet conditioni præstitutæ occurrere, morte præuentus est. Ex Gorziensi. Mox, nec tamen ideo bonum hæreses. Sed & Apellis stemma retractandum est.) Vulgo solent generosi de uetustate familię sese iactare. Deser

tor continentiæ Marcionensis.)Nam interdicebat nuptias Phaneroseis scripsit.)Expositiones erant rerum secretarum,hoc est,insignium nugarum proculdubio.φανερόω Græcis est manifesto. Vnde φανέρωσις manifestatio. De hoc sic in sequenti libro de hæresibus, Habet præterea priuatas sed extraordinarias lectiones suas,quas appellant Phaneroseis Philumenes cuiusdam puellæ,quam quasi
12 prophetissam sequitur. Nam & sic facilius traducentur.)Traducentur,id est inanes ostendentur.Nam traducere proprie est ignominię causa aliquem publicè circunducere.libro IIII. aduersus Marcionem, Vti traduceret,inquit,eas.Ergo illis traduxisse debuerat,&c. Vt diuersitates peruersitatũ.) Subaudi solent
13 esse.Neq; enim consentiunt peruersitates. Et unius æonis uitiũ in originem deduceret dei creatoris.) Vnde hoc ipso libro aliquãto posterius,Expauit enim, inquit, & extimuit,& contristatus est, & ex his passionibus concepit & ædidit.
14 Hinc fecit cœlum & terram. Quam enim damnant, qui extraneam.) Pro qui substituimus ex annotatiunculis Gorziensibus quasi. Obseruandum porrò quòd hic more suo loquitur, omittens uerbum quod rursus est subaudiendum, hoc modo,Quam enim damnant,quasi extraneam subaudi damnant. Felix ecclesia.)Magna laus ecclesiæ Romanę,quã omẽs ueteres summè sunt uenerati.

Degeneres uarietatis grano.)Ex Gorziensi reposuimus ueritatis grano.Subauditur prępositio ab.Degeneres à ueritatis grano,id est degenerantes.Id quum non attenderet quispiam non indoctus, iam olim ueritatis in uarietatis mutauit. Nam codex Paterniacensis apertè habet uarietatis.Mox pro adeundam scripsimus ad eandem de scripturis prouocationẽ,id est ad eam quã habent orthodoxi.

Sine scripturis.) Nam carent scripturis. Quid in meo agitis non mei?) Hic iuris peritũ audis. Syluam alienã cœdere,fontes transuertere,limites cõmouere,in alieno seminare & pascere,inuadentiũ sunt & aliena bona occupantiũ.

Et ipsis autoribus quorum fuit res.) Hoc est ipsis dominis autoritatem suam
15 accommodantibus. Neq; domesticarum est eius.) Extraneam significat.Et itaq; pro utiq; usurpat,ut aliàs sępe. Integro instrumento.) In Paterniacensi codice est strumento,quo etiã alibi utitur pro instrumento,à struendo.Quod uero continenter sequitur,& ut uidetur,aut legendum,utitur,uidetur non callidiore ingenio quàm Marcion,subauditur esse.Aut,uti uidetur,non callidiore ingenio quàm Marcion, subaudi est. Machæra, non stilo usus est.)Machęra cultrum Græcis significat. Nam de instrumento sacro Acta Apostolorum,Apocalypsin,Euangelij Lucæ partem,& partem Paulinarum epistolarum resecat.

Quo ius hodie ex Virgilio fabula in totũ,aliam componi materiam secundũ.) Hanc sententiam nostrũ secuti iudicium sic emendauimus & distinximus. Quo ius hodie ex Virgilio,fabulam totum aliam cõponi, materia secundum uersus, uersibus secundum materias concinnatis. Est autem figura Greca quum dicit totum aliam,id est secundum totum uel in toto aliam. Pinacem Cebetis explicuit.)Tabulam Cebetis intelligit,nam πίναξ Græcis tabula. Extat hodie Cebetis libellus in utraq; lingua. Homeri centonas sententiam uocare solent.) Pro sententiam legendum etiam, Greci uocant ὁμηροκέντρα. Circunfertur Probæ Falconiæ titulo opusculum huius generis ex Virgilio concinnatum, & alterum ex Homero Græcè incerti autoris,tametsi quidã eidem Probæ uindicare conantur.
16 Et sic adhuc initiat Mithrę.)Diuus Hieronymus libro primo Commentariorum in Amos prophetam, ait Mithram sub eodem numero aliarum literarum Ethnicis esse,quem Basilides hęreticus portentoso nomine uocet Abraxan, qui sit omnipotens deus secundum Græcas literas & annui cursus numerum in Solis circulo contentum. Idem libro primo aduersus Iouinianum tradit Mithram

& Erich

& Erichthonium iuxta Gentilium fabulas uel in lapide uel in terra de solo æstuli bidinis esse generatos. An idē sit nescio. Sed ceremonias quibus aliquis initiaretur Mithræ sacris prolixè describit Tertullianus noster in fine libri cui titulus de corona militis, Quum Mithræ miles, inquit, in spelæo in castris uerè tenebrarum initiatur, coronā interposito gladio sibi oblatā quasi mimū martyrij, dehinc capiti suo accōmodatam monetur obuia manu capite depellere, & in humerum si forte transferre, dicens Mithram esse coronam suam, atq; exinde nunquā coronatur. Id quod in signū habet ad probationem sui, sicubi tentatus fuerit de sacramento: statimq; creditur Mithræ miles, si deiecerit coronam, si eā in deo suo esse dixerit. Hæc illic. Quæ uerba paulo prolixius citaui quo facilius intelligas quod hic dicit, Et sub gladio redimit coronam. Porrò Mithræ leones assignabāt, Vnde in primo aduersus Marcionem, Sicut aridę & ardentis, inquit, naturæ sacramenta leones Mythræ philosophantur. Sic enim illic pro mire scribendū docuit exemplar Gorziense. Quid quod & summum Pontificem nuptijs statuit?) Hirsaugiensis codex habebat, in unius nuptijs statuit? Hoc est uxoris suæ quę Flaminica dicebatur, recepto Romanis uocabulo. Porrò mirè explicant hūc locum quæ Tertullianus ad uxorem suam libro primo scribit hijs uerbis. Sacerdotium, inquit, uiduitatis celebratum est apud Nationes pro diaboli scilicet æmulatione. Regem seculi Pontificem Maximū rursus nubere nefas est. Quantum deo sanctitas placet, quum illam etiam inimicus adfectat, non utiq; ut alicuius boni adfinis, sed ut dei domini placita cum contumelia adfectans. Huc præterea pertinet quod in libro de Monogamia rursum memorat, Pontifex, inquit, Maximus & Flaminica nubunt semel. Hoc exemplum non frustra citat Tertullianus assertor Monogamiæ, quam secus quàm par est nusquam non urget.

Habet & uirgines.) Puta uestales. Habet & continentes, uidelicet ipsum Pontificem & uxorem eius Flaminicam, si alterutrum mori contigerit. Morositatem illam Iudææ.) Morositatem uocat illam accuratam præscriptionē instrumenti ueteris, etiam usq; ad minutias. Et sanctorum Christianorum.) Sicut dicimus sancta sanctorum. Et æmulè fidei attentate.) Solet dicere Aemulus deo, in datiuo, Sic etiam per aduerbium æmulè deo. nam fidei hic in dandi casu dictum est. Ita omne mendacium de deo uel natio quodammodo sexus est idololatriæ.) Hūc locum meum iudiciū secutus ausus sum mutare & pro uel natio scribere uariatio, huc me trahentibus Paterniacensis codicis uestigijs. Vt sic legas, Ita omne mendaciū de deo, uariatio quodammodo sexus est idololatriæ. Sensus est, Mendaciū de deo nihil aliud est quàm uariatio generis idololatriæ. Q. D. Mendaciū à mendacio de deo non differt, nisi quod aliud aliam constituit idololatriam. Et creatorem deum accusationem.) Opinor esse figurā Grecā.

Non parent schismata.) Hoc est non apparent. Est em̄ unitas ipsa.) Pro ipsa uidebatur legendū, schisma, uel scissa. At malim exponere, Est autem unitas, ipsa, subaudi schismata. Sic enim est Tertulliani stilus. Et apparitio deuota.) Apparere alicui, ministrare est & inseruire, ceu supra docuimus, Vnde apparitio pro ministerio. Quàm suorum.) Id est eorū qui nos antè præstruxerunt, hoc est Apostolorum Christi. Alia capit opinari eos.) Verbum capit hoc modo solet usurpare. Id est, Accidit ut alias adhuc opiniones habeant hæretici. Aut, Possunt adhuc alia opinari qui exorbitant, ut uis uerbi capit melius exprimatur. Libro primo aduersus Marcionem, Si depreciari capit in creatore. De hoc loquendi genere monuimus supra. Angelos hominem instituere.)

19 Bis angelos legis. Alterum uidetur superuacaneũ. Quæ fœtida & immunda, subaudi sunt. Ipsi, aiunt, propterea.) Ex Gorzienſi collatiõe ſcripſimus, Ipſi, aiunt, præterea. Et mox, dicendo. Ipſum introducunt ad benedicenda eucharistia ſua.) Tradit Aur. Auguſtinus Ophitas iſtos habere etiam uerum colubrum quem nutriunt & uenerantur. Qui & incantante ſacerdote egreditur de ſpelunca, & aſcendit ſuper altare innixum ſpeluncæ, & oblationes eorum lambit, & inuoluens ſe circa eas, regreditur ad ſpeluncam: & ita confringunt oblationes in eucharistiã, quaſi à ſerpente Chriſto, ut illi putant, ſanctificatas. Hæc ille.

A quibus inſertoribus permixtus.) Lege Aeonibus inferioribus permixto.

20 Vt dicant illum tantummodo, ſed & pro ipſo, ſed ipſum fuiſſe.) Reſtituimus ex Gorzienſibus annotatiunculis, Vt dicant illũ tantummodo Seth, & pro ipſo Seth ipſum fuiſſe. Mox, à ſuperioribus uirtutibus. Item, iuſtitiæ cultu, uitæ integritate. Confirmaſſet illum dicto hoc pronunciatio appellat.) Ex Irenęo ſic apparet legendum, Confirmaſſet illum dicto Iaioth, pronunciatio appellat. Sic paulo poſt de Heracleone, Introducit em̃, inquit, in primis illud fuiſſe quod pronunciat. Mox pro deceptatione lege de aporiatione, id eſt deſperatione. Nam in

21 defectione fuit. Vel ſuadendo præſtiterat.) Caſtigauimus ſudando. Tertullianus aduerſum Valentinianos, Vt & Nonacris, inquit, inde ſudauerit, quæ

22 Alexandrum occidit. Hæreſim Cerdonis adprobare conatus eſt, eadem dicere.) Admonuimus iam ſæpenumero, Tertullianum ſolitum uerbũ præcedens etiam in ſequente ſententia ſubaudire, ut hic conatus eſt eadem dicere. Hoc uult uideri m.i.) Hoc, id eſt ab hoc, ut ſupra docuimus. Mox pro cui mundi ſcripſimus, cui mundo, noſtrum iudicium ſecuti. Nam præcedens mundi uidetur errato occaſionem dediſſe. Totus enim ſecũdum Valentinũ ſapit.) Sic in De reſurrectione carnis: ne de reſurrectione ad Sadducæos ſapere exiſtimaretur.

Quod iam nec ſalutem conſequi poſſe.) Hunc locum in omnibus manuſcriptis exemplaribus deprauatum, ut uidetur, auſi ſumus mutare ex Irenæi lectione, pro Quod iam, ſupponentes Adam nec ſalutem conſequi poſſe. An recte, iudicent docti. Certè Tatianum Irenæus tradit Adę ſaluti contradicere. Mox poſt hæc uerba, qui ☧ Proclum dicantur, addidimus hanc clauſulam, ſunt qui ſecundum Aeſchinem pronuncientur. Chriſti pro nomine adprehenſus.) Pro nomine Chriſti, hoc eſt ob profeſſionem nominis Chriſtiani, ut antè ſæpe. Hunc locum ſic ſcripſimus cõſentientibus exemplaribus uetuſtis, Gorzienſi Paterniacenſiq;, Qui poſtea quàm Chriſti pro nomine adprehenſus eſt, in Chriſtum blaſphemare non deſtitit. Quæ uerba auſus eſt quidam in Hirſaugienſi uolumine ad Auguſtini narrationem mutare, qui ſcribit horum hæreticorum autorem lapſum in perſecutione, ut eius caſus opprobrium deuitaret, aſſerere cœpiſſe Chriſtum tantũ eſſe hominem, quo non deum ſed hominem negaſſe uideretur. Itaq; ſcripſit, Qui poſtea quàm Chriſtũ pro nomine adprehenſus, negauit, in Chriſtum blaſphemare non deſtitit. Nec uero magnopere refert quo ad ſententiam.

Praxeas quidam.) Huic confutando proprium uolumen dicauit, quod in hoc opere ſequitur.

ANNOT. IN LIBRVM SEQVENTEM FINIS.

Q. SEPTIMII FLOREN

TIS TERTVLLIANI DE PRAE/

SCRIPT. ADVERSVS HAERETICOS, LIB.



ONDITIO præsentium temporum etiã hanc ammo/nitionem prouocat nostram, non oportere nos mirari super hæreses istas, siue quia sunt: futuræ enim prænunciabantur: siue quia fidem quorundam subuertunt: ad hoc enim sunt, ut fides habendo tentationem, haberet etiam probationem. Vanè ergo & incõsideratè plerique hoc ipso scandalizantur, quod tantum hæreses ualeant, quantũ si non fuis/ 1
sent: cum quod fortitũ est omni modo sit, sicut causam accipit ob quam sit, sic uim consequitur per quam sit: nec esse nõ possit. Febrem denique inter cæteros mortiferos & cruciarios exitus erogando homini deputatã, neque quia est miramur: est enim: neque quia erogat hominem, ad hoc enim est. Proinde hæreses ad languorem & interitũ fidei productas si expauescimus hoc eas posse, prius est ut expauescamus hoc eas esse, quæ dum sunt, habẽt posse: & dum possunt, habẽt esse. Sed enim febrem ut malum, & de causa & de potentia sua, ut notum est, abominamur potius quàm miramur, & quantũ in nobis est præcauemus, non habentes abolitionem eius in nostra potestate. Hæreses uero mortem æternam, & maioris ignis ardorẽ inferenteis malunt quidam mirari quod hoc possint, quàm deuitare ne possint: cum habeant deuitandi potestatem. Cæterum nihil ualebunt, si illas tantum ualere non mirentur. Aut enim dum mirantur, in scandalum subministrantur: aut quia scandalizantur, ideo mirantur quod tantum ualeant, quasi ex aliqua ueritate ueniant. Mirum scilicet ut malum uires suas habeat: nisi quod hæreses apud eos multum ualent, qui in fide non ualent. In pugna pugilũ & gla/ *Pugiles*
diatorum, plerunque non quia fortis est, uincit quis, aut quia nõ potest uinci: *Gladiatores*
sed quoniam ille qui uictus est, nullis uiribus fuit: adeo idem ille uictor bene ualenti postea cõparatus, etiam superatus recedit. Non aliter hæreses de quorundam infirmitatibus habent, quod ualent, nihil ualẽtes si in bene ualentem fidem incurrant. Solent quidem isti miriones etiam de quibusdam *Miriones*
personis ab hæresi captis, ædificari in ruinam. Quare illa uel ille fidelissimi, & prudentissimi, & usitatissimi in ecclesia, in illam partem transierunt? Quis hoc dicens, nõ ipse sibi respondit: neque prudentes, neque fideles, neque usitatos æstimandos, quos hæreses potuerint demutare? Et hoc mirum (opinor) ut probatus aliquis retro, postea excidat? Saul bonus præ cæteris, liuore postea euertitur. Dauid uir bonus secundũ cor domini, postea cædis & stupri

reus

reus est. Salomon omni gratia & sapientia donatus à domino, ad idolatriã à mulieribus inducitur. Soli enim dei filio seruabatur sine delicto permanere. Quid ergo si episcopus, si diaconus, si uidua, si uirgo, si doctor, si etiam martyr lapsus à regula fuerit: ideo hæreses ueritatem uidebuntur obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas? Nemo sapiens est, nemo fidelis, nemo maior nisi Christianus. Nemo autẽ Christianus, nisi qui ad finem usq; perseuerauerit. Tu ut homo, extrinsecus unumquenq; nosti: putas quod uides. Vides autem quousq; oculos habes. Sed oculi, inquit, domini alti. Homo in faciem, deus in præcordia contemplatur. Et ideo cognoscit dominus qui sunt eius: & plantam quã non plantauit, eradicat: & de primis nouissimos ostendit: & uentilabrum in manu portat ad purgandã aream suam. Auolent quantum uolunt paleæ leuis fidei, quocunq; adflatu tentationum, eo purior massa frumenti in horrea domini reponetur. Nónne ab ipso domino quidam discentium scandalizati deuerterunt? nec tamen propterea, cæteri quoq; discedendum à uestigijs eius putauerũt: sed qui scierũt illum uitæ esse uerbum, & à deo uenisse, perseuerauerunt in comitatu eius usq; ad finem: cum illis si uellent & ipsis discedere placidè obtulisset. Minus est si & apostolũ eius, aliqui Phygelus, & Hermogenes, & Philetus, & Hymenæus reliquerunt: ipse traditor Christi de Apostolis fuit. Miramur de ecclesijs eius, si à quibusdam deseruntur, cum ea nos ostendunt Christianos quæ patimur, ad exemplum ipsius Christi. Ex nobis, inquit, prodierũt, sed non fuerunt ex nobis. Si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum. Quin potius memores simus tam dominicarum pronunciationum, quàm apostolicarum literarum, quæ nobis & futuras hæreses prænunciauerunt, & fugiendas præfinierũt: ut sicut esse illas non expaueſcimus, ita & posse id propter quod fugiendæ sunt non miremur. Instruit dominus multos esse uenturos sub pellibus ouiũ, rapaces lupos. Quæ nam istę sunt pelles ouiũ, nisi nominis Christiani extrinsecus superficies? Qui lupi rapaces, nisi sensus & spiritus subdoli, ad infestandum gregem Christi intrinsecus delitescentes? Qui pseudoprophetæ sunt, nisi falsi prædicatores? Qui pseudoapostoli, nisi adulteri euangelizatores? Qui antichristi interim & semper, nisi Christi rebelles? Hoc erunt hæreses non minus doctrinarum peruersitate ecclesiam lacessentes, quàm tunc antichristus persecutionum atrocitate persequetur: nisi quod persecutio & martyres facit, hæreses apostatas tantũ. Et ideo hæreses quoq; oportebat esse, ut probabiles quiq; manifestarẽtur: tam qui in persecutionibus steterint, quàm qui ad hæreses non exorbitauerint. Neque enim eos probatos intelligi iubet, qui in hæresim fidem demutant. Sicut ex diuerso sibi interpretantur, quia dixit alibi: Omnia examinate, quod bonum est tenete. Quasi nõ liceat omnibus male examinatis iniectione alicuius mali impingere per errorem. Porrò si dissensiones & schismata increpat, quæ

Discentes

Dominicæ prænunciatiões

Apostolicæ literæ

pat,quæ ſine dubio mala ſunt,& incontinenti hæreſes ſubiungit, quod malis adiungat malum utiq; profitetur,& quidem maius:cum idem credidiſſe dicat,de ſchiſmatibus & diſſenſionibus:quia ſciret etiam hæreſes oportere eſſe.Oſtendit enim grauioris mali deſpectu de leuioribus ſe facile credidiſſe:certè non ut ideo de malis crediderit,quia hæreſes bonæ eſſent,ſed uti de peioris quoq; notæ tentationibus præmoneret non eſſe mirandũ, quas ediceret tendere ad probabiles quoſq; manifeſtandos,ſcilicet quos non potuerint deprauare.Deniq; ſi totum capitulum ad unitatem continendam,& ſeparationes cohercendas ſapit: hæreſes uero non minus ab unitate diuellunt,quàm ſchiſmata & diſſenſiones,ſine dubio & hæreſes in ea conditione reprehenſionis conſtituit,in qua ſchiſmata & diſſenſiones. Ac per hoc non eos probabiles facit, qui in hæreſes diuerterint, cũ maxime diuerti ad eiuſmodi obiurgans,& docens unum oẽs loqui,& ipſum ſapere: quod etiam hæreſes non ſinunt.Nec diutius de iſto,† ſi idem & Paulus,qui & alibi hæreſes inter carnalia crimina enumerat ſcribens ad Galatas: & qui Tito ſuggerit,hominem hæreticum poſt primam correptionem recuſandum,quod peruerſus ſit eiuſmodi & delinquat,ut à ſemetipſo damnatus. Sed & in omni penè epiſtola de adulterinis doctrinis fugiendis inculcans hæreſes taxat:quarum opera ſunt adulteræ doctrinæ, hæreſes dictæ Græca uoce ex interpretatione electionis,qua quis ſiue ad inſtituendas, ſiue ad ſuſcipiendas eas utitur.Ideo & ſibi damnatum dixit hæreticũ:quia & in quo damnatur,ſibi elegit,Nobis uero nihil ex noſtro arbitrio indulgere licet,ſed nec eligere quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit. Apoſtolos domini habemus autores,qui nec ipſi quicquam ex ſuo arbitrio,quod inducerent, elegerunt: ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fideliter Nationibus adſignauerunt. Itaq; etiam ſi angelus de cœlis aliter euãgelizaret,anathema diceretur à nobis.Prouiderat iam tunc ſpiritus ſanctus futurum in uirgine quadam Philumene angelum ſeductionis,transfigurantem ſe in angelũ lucis: cuius ſignis & præſtigijs Apelles inductus,nouam hæreſim induxit.Hæ ſunt doctrinę hominum & dæmoniorum,prurientibus auribus natæ, de ingenio ſapientiæ ſecularis:quã dominus ſtultitiã uocans,ſtulta mundi confuſione etiam philoſophię ipſius elegit.Ea eſt enim materia ſapientię ſecularis, temeraria interpres diuinæ naturæ diſpoſitionis. Ipſæ deniq; hæreſes à philoſophia ſubornantur. Inde æones & formæ,neſcio quæ, & trinitas hominis apud Valentinum:Platonicus fuerat.Inde Marcionis deus melior de trãquillitate:à Stoicis uenerat. & uti anima interire dicatur, ab Epicureis obſeruatur. Et ut carnis reſtitutio negetur, de una omnium philoſophorum ſchola ſumitur.Et ubi materia cũ deo æquatur,Zenonis diſciplina eſt: & ubi aliquid de igneo deo allegatur, Heraclitus interuenit.Eædem materię apud hæreticos & philoſophos uolutãtur:ijdem retractatus implicãtur. Vnde malum,

& quare

† *Forte, ſi idem eſt Paulus*

Hæreſes

Apoſtoli

Sapientia ſecularis.

Ex philoſophia hæreſiũ origo.

Deus melior

Hermogenes Stoicus

& quare? & unde homo, & quomodo? Et quod proxime Valentinus pro-
posuit, Vnde deus? Scilicet & de Enthymesi, & Ectromate inserunt Aristo-
telem, qui illis Dialecticam instituit, artificem struendi & destruendi, uersi-
pellem, in sententijs coactam, in coniecturis duram, in argumētis operariā,
contentione molestam, etiā sibīpsi omnia retractantem, ne quid omnino
tractauerit. Hinc illæ fabulæ & genealogię indeterminabiles, & quęstiones
infructuosæ, & sermones serpentes, uelut cancer: à quibus nos Apostolus
refrenans, nominatim philosophiam & inanem seductionem contestatus
caueri oportere, scribens ad Colossenses: Videte ne quis sit circumueniens
uos per philosophiam & inanem seductionem, secundum traditionem ho-
minum, præter prouidentiam spiritus sancti. Fuerat Athenis, & istā sapien-
tiam humanam, adfectatricem & interpollatricem ueritatis, de cōgressibus
nouerat ipsam quoq; in suas hæreses multipartitam uarietate sectarum in-
uicem repugnantium. Quid ergo Athenis & Hierosolymis? quid Acade-
miæ & ecclesiæ? quid hæreticis & Christianis? Nostra institutio de porticu
Salomonis est: qui & ipse tradiderat dominū in simplicitate cordis esse quę-
rendum, Viderint qui Stoicum, & Platonicum, & Dialecticum, Christianis
prætulerunt. Nobis curiositate opus non est post Christū Iesum, nec inqui-
sitione post Euangelium. Cum credimus, nihil desideramus ultra credere.
Hoc enim prius credimus, nō esse quod ultra credere debemus. Venio ita-
que ad illum articulum, quem & nostri prætendunt ad ineundam curiosi-
tatem, & hæretici inculcant ad importandam curiositatem. Scriptum est in-
quiunt: Quærite, & inuenietis. Quando hanc uocem dominus emisit, recor-
demur. Puto in primitijs ipsis doctrinæ suæ, cum adhuc dubitaretur apud
omnes, an Christus esset. Et cum adhuc nec Petrus illum dei filium pronun-
ciasset: cum etiam Ioannes de illo certus esse desisset. Quærite, & inuenietis,
quando quærendus adhuc erat: & hoc quantum ad Iudæos. Ad illos enim
pertinet totus sermo suggillationis istius, qui habebant ubi quærerent Chri-
stum. Habent, inquit, Moysen & Heliam: id est, legem & prophetas Chri-
stum prædicantes: secundum quod & alibi apertè: Scrutamini scripturas, in
quibus salutem speratis. Illæ enim de me loquuntur. Hic erit, quærite & in-
uenietis. Nam & sequentia in Iudæos competere manifestum est, Pulsate
& aperietur uobis. Iudæi retro penes deum fuerāt: dehinc eiecti ob delicta,
extra deum esse cœperunt. Nationes uero nunquam penes deum, nisi stilli-
cidiū de situla, & puluis ex area, & foris semper. Itaq; qui foris semper, quo-
modo pulsabit eò ubi nunquam fuit? quam ianuam nouit, in qua nec rece-
ptus, nec eiectus aliquando? an qui scit se intus fuisse & foras actū, is potius
pulsabit, & ostium nouit? Etiam petite & accipietis, ei cōpetit, qui sciebat à
quo erat aliquid promissum, à deo scilicet Abraham, Isaac & Iacob: quem
Nationes non magis nouerant, quàm ullam repromissionem eius. Et ideo

In primitijs doctrinæ suæ

ad Israel

ad Iſrael loquebatur: Non ſum, inquit, miſſus, niſi ad oues perditas domus Iſraelis. Nondum canibus iactabat panem filiorum: nondum in uiam gentium uel nationum ire mandabat. Siquidem in finem præcepit, ut uaderent ad docendas & tingendas Nationes, conſecuturi mox ſpiritum ſanctũ paracletum, qui illos deducturus eſſet in omnem ueritatem. Et hoc erga illos facit. Quod ſi Nationibus deſtinati doctores Apoſtoli, ipſi quoq; doctorẽ conſecuturi erant paracletum, multo magis uacabat erga nos, Quærite & inuenietis: quibus ultro erat obuentura doctrina per Apoſtolos, & ipſis Apoſtolis per ſpiritum ſanctum. Omnia quidem dicta domini omnibus poſita ſunt, per aures Iudæorum ad nos tranſierunt: ſed pleraq; in perſonas directa, non proprietatem admonitionis nobis conſtituerunt, ſed exemplum. Cedo nunc ſponte de gradu iſto: omnibus dictum ſit, Quærite & inuenietis: tamen & hic expedit ſenſus, certare cum interpretationis gubernaculo. Nulla uox diuina ita diſſoluta eſt & diffuſa, ut uerba tantum defendantur, & ratio uerborum non cõſtituatur. Sed in primis hoc propono: Vnũ itaq; & certum aliquid inſtitutum eſſe à Chriſto, quod credere omni modo debeant Nationes: & idcirco quærere, ut poſſint cũ inuenerint credere. Vnius porrò & certi inſtituti, infinita inquiſitio non poteſt eſſe: quærendum eſt donec inuenias, & credendũ ubi inueneris: & nihil amplius, niſi cuſtodiendum quod credidiſti: dum inſuper credis, alium non eſſe credendum, ideoq; nec requirendum, cũ id inueneris & credideris quod ab eo inſtitutũ eſt, qui non aliud tibi mandat inquirendum, quàm quod inſtituit. De hoc quidem ſi quis dubitat, conſtabit penes nos eſſe, id quod à Chriſto inſtitutũ eſt. Interim ex fiducia probationis præuento, admonens quoſdam nihil eſſe quærendum ultra quod crediderunt, id eſſe quod quærere debuerunt: Quærite & inuenietis, ſine diſciplina rationis interpretentur. Ratio aũt dicti huius in tribus articulis conſtitit. In re, in tempore, in modo. In re: ut quid ſit quærendum, conſideres. In tempore, ut quando. In modo, ut quouſq;. Igitur quærendum eſt quod Chriſtus inſtituit, utiq; donec inuenias. Inueniſti aũt cum credidiſti. Nam nõ credidiſſes, ſi nõ inueniſſes: ſicut nec quæſiſſes, niſi ut inuenires. Ad hoc ergo quæris, ut inuenias: & ad hoc inuenies, ut credas. Omnem prolationem quærendi & inueniendi ſtatuit fructus ipſe quærendi. Hanc tibi foſſam determinauit ipſe qui te non uult aliud credere, quàm quod inſtituit, ideoq; nec quærere. Cæterum ſi quæ talia tanta ab alijs ſunt inſtituta, propterea intantum quærere debemus, inquantum poſſumus inuenire, ſemper quæremus, & nunquàm omnino credemus. Vbi enim erit finis quærendi? ubi ſtatio credendi? ubi expunctio inueniendi? Apud Marcionem? ſed & Valentinus proponit: Quærite & inuenietis. Apud Valentinum? ſed & Apelles hac me pronũciatione pulſauit, & Hebion, & Simon, & omnes ex ordine non habent aliud, quo ſe mihi inſinuantes me ſibi adducant

Cedo de gradu

Vide Annotationes

4

Foſſam tibi determinauit

Vide Annotationes

ducant. Et erit itaq; nusquàm dum ubiq; conuenio, Quærite & inuenietis: & uelint sic nusquã, quasi qui nunquã adprehenderim illud quod Christus instituit: quod credi necesse est, qd quęri oportet. Impune erratur, nisi delinquatur: quãuis errare, delinquere est. Impune, inquã, uagatur, qui nihil deserit. At em̃ quod si debui credere, credidi: & aliud denuo puto requirendum: spero utiq; aliud esse inueniendum, nullo modo speraturus istud, nisi quia aut non crediderã qui uidebar credidisse, aut desij credidisse. Ita fidem meã

Negator

deserens, negator inuenior. Semel dixerim: Nemo quęrit, nisi qui aut nõ habuit, aut perdidit. Perdiderat unã ex decẽ didragmis anus illa, & ideo quęrebat. Vbi tamẽ inuenit, quærere desijt. Panem uicinus nõ habebat, & ideo pulsabat. Vbi tamen apertũ est ei, & accepit, pulsare cessauit. Vidua à iudice petebat audiri, quia nõ admittebatur: sed ubi audita est, hactenus instit. Adeo finis est, & quærendi, & pulsandi, & petendi. Petenti enim dabitur inquit, & pulsanti aperietur, & quærenti inuenietur. Viderit qui quærit semper, quia non inuenit. Illic enim quærit, ubi non inuenietur. Viderit qui semper pulsat, quia nunq; aperietur. Illuc em̃ pulsat, ubi nemo est. Viderit qui semper petit, quia nunquã auditur. Ab eo enim petit, qui nõ audit. Nobis & quærendum est adhuc & semper. Vbi tamen quæri oportet? Apud hæreticos? ubi omnia extranea & aduersaria nostræ ueritati, ad quos uetamur accedere. Quis seruus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico domini sui sperat? Quis miles ab infœderatis, ne dicã ab hostibus regibus, donatiuum & stipendium captat, nisi planè desertor & transfuga & rebellis? Etiã anus illa intra tectum suum dragmam requirebat: etiã pulsator ille uicini ianuam tundebat: etiã uidua illa nõ inimicum licet durũ iudicem interpellabat. Nemo inde strui potest, unde destruitur. Nemo ab eo inluminatur, à quo con

Forte, Idque duntaxat Regula fidei

tenebratur. Quæramus ergo in nostro, & à nostris, & de nostro: In quo? duntaxat quod salua regula fidei potest in quæstionẽ deuenire. REGVLA EST AVTEM FIDEI, ut iam hinc quid credamus profiteamur, illa scilicet qua creditur unum omnino deũ esse, nec aliũ pręter mundi † creatorem,

Aliàs, conditorem

qui uniuersa de nihilo produxerit per uerbum suum primò omnium emissum: id uerbum filius eius appellatum in nomine dei, uariè uisum Patriarchis, in Prophetis semper auditum, postremo delatum ex spiritu patris dei & uirtute, in uirginem Mariam, carnem factum in utero eius, & ex ea natũ, egisse Iesum Christum: exinde prædicasse nouam legem, & nouam promissionem regni cœlorum, uirtutes fecisse, fixum cruci, tertia die resurrexisse: In cœlos ereptum, sedere ad dexteram patris: misisse uicariam uim spiritus sancti, qui credentes agat: uenturum cũ claritate ad sumendos sanctos, in uitæ æternæ & promissorum cœlestium fructum, & ad prophanos iudicandos igni perpetuo, facta utriusq; partis resuscitatione cum carnis restitutione. Hæc regula à Christo ut probabitur instituta, nullas habet apud

nos

nos quæstiones,nisi quas hæreses inferunt,& quæ hæreticos faciunt. Cæte rum manente forma eius in suo ordine,quantum libet quæras & tractes, & omnem libidinem curiositatis effundas,siquid tibi uidetur uel ambiguitate pendêre,uel obscuritate obumbrari: est utiq; frater aliquis doctor gratia scientiæ donatus:est aliquis inter exercitatos conuersatus,aliquid tecum cu riosius tamen quærens: nouissime ignorare melius est, ne quod non de/ beas,noris. Fides,inquit,tua te saluum fecit:non exercitatio scripturarum. Fi FIDES des in regula posita est:habet legem,& salutẽ de obseruatione legis: exerci/ tatio aũt in curiositate consistit,habens gloriã solam de peritiæ studio. Ce/ dat curiositas fidei,cedat gloria saluti. Certe aut nõ obstrepãt, aut quiescant aduersus regulam. Nihil scire, omnia scire est. Vt non inimici essent uerita/ tis hæretici,ut de refugiendis eis nõ præmoneremur,quale est conferre cum hominibus, qui & ipsi adhuc se quærere cõfitentur? Si em̃ uerè adhuc quę/ runt, nihil adhuc certi reprehenderunt: & ideo quodcunq; uidentur interim tenere,dubitationem suam ostendunt quamdiu quærunt. Itaq; tu qui pro/ inde quæris,spectas ad eos qui & ipsi quærunt,dubius ad dubios, incertus ad incertos,cæcus à cæcis in foueam deducaris necesse est. Sed cũ decipien/ di gratia prætendant se adhuc quærere,ut nobis per sollicitudinis iniectio/ nem tractatus suos insinuent: deniq; ubi adierunt ad nos, statim quæ dice/ bant quærenda esse,defendunt: iam illos sic debemus refutare,ut sciant nos non Christo,sed sibi negatores esse. Cum enim quærunt adhuc, nondum tenent: cum autem tenent, nondum crediderunt, non sunt Christiani. At cum tenent quidem & credunt,quærendum tamen dicunt ut defendant: an/ tequam defendant negant quod credunt,confidentes se nondum credidis/ se,dum quærunt. Qui ergo nec sibi sunt Christiani, quanto magis nobis? Qui per fallaciam ueniunt,qualem fidem disputant? cui ueritati patrocinan tur,qui eam à mendacio inducũt? Sed ipsi de scripturis agunt,& de scriptu/ ris suadent. Aliunde scilicet suadere nõ possent de rebus fidei, nisi ex literis fidei. Venimus igitur ad propositum(huc enim dirigebam) & præstamus allocutionis præfationem,ut iam hinc de eo cõgrediamur de quo aduersa/ rij prouocant. Scripturas obtendunt,& hac sua audacia statim quosdã mo uent: in ipso uero congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, me/ dios cum scrupulo dimittunt. Hũc igitur potissimum gradum obstruimus, non admittendi eos ad illam de scripturis disputationem, si hæ sunt illę ui/ res eorum,uti ne eas habere possint. Dispici debet cui competat possessio scripturarũ,ne is admittatur ad eandem,cui nullo modo cõpetit. Hoc de cõ/ silio diffidentiæ,aut de studio aliter ineundæ constitutionis induxerim, nisi ratio constiterit,in primis illa,quod fides nostra obsequium Apostolo de/ beat,prohibenti quæstiones inire,nouis uocibus aures accõmodare, hæreti cum post unã correptionem cõuenire,nõ post disputationem. Adeo inter/

dixit disputationem, correptionem designans causa hæretici conueniendi: & hoc unam, scilicet quia non est Christianus: ne more Christiani semel & iterum, & sub duobus aut tribus testibus castigandus uideretur: cũ ob hoc sit castigandus, propter quod nõ sit cũ illo disputandum. Deinde quoniam nihil proficiat congressio scripturarũ, nisi planè ut aut stomachi quis ineat uersionem, aut cerebri. Ista hæresis non recipit quasdam scripturas: etsi quas recipit, adiectionibus & detractionibus ad dispositionem instituti sui interuertit. & si recipit non recipit integras: & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones cõmentata conuertit. Tantum ueritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stilus. Variæ præsumptiones necessario nolunt agnoscere ea, per quæ reuincuntur: his nituntur quæ ex falso cõposuerunt, & quæ de ambiguitate cœperunt. Quid promouebis exercitatissime scripturarum, cũ si quid defenderis, negetur ex diuerso, si quid negaueris, defendatur. Et tu quidem nihil perdes, nisi uocem in contentionem: nihil consequeris, nisi uilem de blasphematione laudem. Ille uero si quis est cuius causa in congressum descendis scripturarum, ut eum dubitantem confirmes, ad ueritatem an magis ad hæreses deuerget? hoc ipso motus, quod te uideat nihil promouisse æquo gradu negandi & defendendi, diuersa parte statutum: certè & pari altercatione incertior discedet, nesciens quam hæresim iudicet. Hęc uticq; & ipsi habent in nos retorquere. Necesse est enim & illos dicere, nobis potius adulteria scripturarũ & expositionum eorum mendacia inferri, qui proinde sibi defendant ueritatem. Ergo nõ ad scripturas prouocandum est: nec in his cõstituendum certamen, quibus aut nulla aut incerta uictoria est, aut parum certa. Nam etsi nõ ita euaderet collatio scripturarum, ut utranq; partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: Quibus competat fides ipsa, Cuius sint scripturæ: A quo, & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina qua fiunt Christiani. Vbi enim apparuerit esse ueritatẽ disciplinæ & fidei Christianæ, illic erit ueritas scripturarũ & expositionum, & omnium traditionũ Christianorum. Christus Iesus dominus noster permittat dicere interim, quisquis est, cuiuscunq; dei filius, cuiuscunq; materiæ homo & deus, cuiuscunq; fidei præceptor, cuiuscunq; mercedis promissor. Quid esset, quid fuisset, quam patris uoluntatem administraret, quid homini agendum determinaret, quamdiu in terris agebat, ipse pronunciabat,

Discentes siue populo palã, siue discentibus seorsum. Ex quibus, duodecim præcipuos lateri suo adlegerat destinatos Nationibus magistros. Itaq; uno eorũ decusso, reliquos undecim regrediens ad patrẽ post resurrectionẽ, iussit ire & docere Nationes, tingẽdas in patrẽ & in filiũ & spiritum sanctũ. Statim igitur

Apostoli quid apostoli, quos hęc appellatio missos interpretatur, assumpto per sortẽ duodecimo Mathia in locum Iudæ ex autoritate prophetiæ, qua est in psalmo

Dauid

Dauid consecutio promissa,uim spiritus sancti ad uirtutes & eloquium, pri 6
mò per Iudæam contestata fide in IESVM CHRISTVM, & ecclesijs in-
stitutis,dehinc in orbem profecti, eandem doctrinã eiusdem fidei Natio-
nibus promulgauerunt:& proinde ecclesias apud unamquanq; ciuitatem
condiderunt. Quibus traducem fidei & semina doctrinæ, cæteræ exinde ec
clesiæ multæ sunt,& quotidie mutuantur ut ecclesię fiant. Ac per hoc & ipsę
apostolicæ deputabuntur,ut soboles Apostolicarum ecclesiarũ. Omne ge-
nus ad originem suam censeatur, necesse est. Ita quæ tot ac tantæ ecclesiæ,
unam esse illam ab Apostolis primam,ex qua omnes. Sic omnes primę, &
omnes Apostolicæ,dum unam omnes probant unitatem. Communicatio Cõmunicatio
pacis, & appellatio fraternitatis,& cõtesseratio hospitalitatis: quæ iura non pacis
alia ratio regit,quàm eiusdẽ sacramenti una traditio. Hinc igitur dirigimus Appellatio
præscriptionem:Si dominus Iesus Christus apostolos misit ad prædican- fraternitatis
dum:alios nõ esse recipiendos prædicatores,quàm quos Christus instituit: Contesseratio
quia nec alius patrem nouit nisi filius,& cui filius reuelauit: & nec alijs uide- hospitalitatis
tur reuelasse filius,quàm apostolis quos misit ad prædicandum,utiq; quod
illis reuelauit. Quid autẽ prædicauerint,id est, quid illis Christus reuelaue-
rit,& hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias,
quas ipsi Apostoli condiderunt,ipsi eis prædicando,tam uiua (quod aiunt) Viua uoce
uoce,quàm per epistolas postea. Si hæc ita sunt,constat proinde omnẽ do-
ctrinam,quæ cum illis ecclesijs Apostolicis matricibus & originalibus fidei Ecclesiæ Apo
cõspiret,ueritati deputandam:& sine dubio tenentes,quod ecclesiæ ab Apo stolicæ matri-
stolis,Apostoli à Christo,Christus à deo susceperit:Reliquam uero omnem ces & origi-
doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra ueritatem ec- nales
clesiarum,& Apostolorum,& Christi,& dei. Superest ergo uti demonstre
mus,an nostra doctrina, cuius regulam supra edidimus, de Apostolorum
traditione censeatur:& ex hoc ipso,an cæteræ de mendacio ueniant. Com-
municamus cum ecclesijs apostolicis, quod nulla doctrina diuersa, hoc est
testimoniũ ueritatis. Sed quoniam (tum expedita probatio est,ut si statim
proferatur,nihil iam sit retractandum,ac si prolata nõ sit à nobis, locum in-
terim demus diuersæ parti,si quid putant ad infirmandã hanc præscriptio-
nem mouere se posse)solent dicere,non omnia Apostolos scisse,eadem agi
tati dementia qua rursus conuertunt, omnia quidem Apostolos scisse, sed
non omnia omnibus tradidisse:in utroq; Christum reprehensioni inijcien-
tes,qui aut minus instructos,aut parum simplices apostolos miserit: Quis
enim integræ mentis,credere potest aliquid eos ignorasse, quos magistros
dominus dedit,indiuiduos habitos in comitatu,in discipulatu, in conuictu,
quibus obscura quæq; seorsum differebat,illis dicens datum esse cognosce-
re arcana, quæ populo intelligere non liceret. Latuit aliquid Petrum ædifi- PETRVS
candę ecclesię Petram dictum,claues regni cœlorum consecutũ,& soluendi